6. S. 7. 10. G. 5

Digitized by Google

10. 5. 286

# VINDICIÆ SS. MARTYRUM ARRETINORUM DISSERTATIO

AUCTORE
ANGELO LAURENTIO GRAZINI
ARRETINO.

ROMÆ MDCCLV.

EX TYPOGRAPHIO PALLADIS
APUD FRATRES PALEARINOS
*PRÆSIDUM PERMISSU.*

Digitized by Google

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

# JOANNI ANTONIO

*S. R. E. CARDINALI*

# GUADAGNI

EPISCOPO TUSCULANO

ET SS. D. N. VICARIO GENERALI.

ANGELUS LAURENTIUS GRAZINI F.

*PErmultis, Eminentiſſime Princeps, eiſque maximis beneficiis, quibus a Te ſum ornatus, non arbitrabar fieri poſſe, ut novum adcederet, quod reliqua quodammodo vinceret. Tu tamen pro Tua ſingulari humanitate, quod ne ſperare quidem auſus eſſem, id præſtitiſti. Quamquam enim magnum eſt in Sacerdotum Collegium cooptari, maximum Parochiali Eccleſiæ præfici, quæ ipſe per Te, neque ea ſola, ſed & alia multa,*



Digitized by Google

*ſum conſequutus, quæ nec perſequi numerando poſſum, nec epiſtolari brevitate complecti; tamen hæc mihi commodo, ornamento, dignitati eſſe equidem poterant, minus fortaſſe laudi. At cum Opuſculum hoc a me Tibi inſcribi voluiſti, majus ſane quiddam per Te videor adeptus. Etenim quum eo loco Tua dignitas eſſet, ut pro Tuis immortalibus beneficiis gratus in Te eſſe non poſſem, Tu, ut hujuſmodi ſaltem viderer, effeciſti. Intelligunt enim homines, Te (ut decet Senatorem Chriſtianæ Reipublicæ graviſſimum, ampliſſimo Sacerdotio præditum) ita eſſe liberalem, ut neque cupias, neque ſperes, neque omnino velis liberalitatem Tuam Tibi quæſtui eſſe: iidem tamen intelligunt, ſi qui ſunt (ſunt autem permulti) quorum ſit fortuna benignitate Tua ſublevata, eoſdem, ſiquidem magnitudine Dignitatis, & Virtutis Tuæ grati eſſe nequeunt, gratiarum tamen ſtudium, cupiditatemque referendarum oſtendere oportere. Idipſum itaque hujuſce libelli oblatione mihi videor hodie adſequutus. Neque eſt quod quiſpiam exiguitati Voluminis invideat, aut ſtyli aſperitati: Hæc etenim tenuitati ingenii mei facile erunt con-*

*do.*

*donanda ; res vero ipſa, de qua agitur, aptiſſima forte videbitur, quam ipſe ad Te potiſſimum ſcriberem. Quid enim eſt, quod poſſit gravius a Chriſtiano Sacerdote ſcribi Pontifici olim ſuo, S. Rom. Eccleſiæ Cardinali ampliſſimo, Epiſcopo Tuſculano, Romæ Propontifici, quam de Religione, de Supplicationibus Veterum Chriſtianorum, de SS. Martyribus Chriſti? Hæc autem maxime complectitur hic libellus: ſcribendum ſiquidem mihi eſt de antiquiſſimis Arretinorum LITANIIS, deque SS. MM., & Confeſſoribus, qui in ipſis exorabantur, quique magna ex parte, licèt in Civitate noſtra Sepulti, Noſtratibus tamen ignoti, veterum Eccleſiæ noſtræ monumentorum certiſſimo teſtimonio ſunt vindicandi. Magni, arbitror, facies, gratumque duces, Princeps Eminentiſſime, quorum hominum pietas, caritaſque, ut hujus Arretinæ Eccleſiæ fundamenta jaceret, non eſt ſanguinis effuſionem, teterrimaque ſupplicia, atque ipſam adeo mortem reverita; eorum ſanctiſſimam memoriam e tenebris quodammodo erui, atque in lucem proferri: Id ſiquidem intelligis maximo eidem Eccleſiæ ornamento eſſe poſſe; quam quanta olim ſan-*

*cti.*

*ctitate plures annos Ipſe adminiſtraris, quibus donariis, privilegiis maximis, ſingularibus, modo liberalitate Tua largitis, modo Clementis XII. P. O. M. Avunculi Tui auctoritate, indulgentiaque impetratis, inluſtraveris, auxeris, & norunt præſentes, & prædicant; nullaque in poſterum ætas de facto præſertim illo Tuo conticeſcet, quo Arretinis Pontificibus præferendæ Crucis, & ſacri geſtandi Pallii ſingulare munus delatum eſt. Patere, quæſo Eminentiſſime Princeps, modeſtia Tua vel invita, me id memoraſſe, ne beneficiorum Tuorum immemores Arretini videantur. Tum Opus hoc accipe, (abſit verbo invidia) Te dignum, quod ego de manu, ut ajunt, in manum iſtam Tuam fide, liberalitate, Chriſtianorumque Myſteriorum diſpenſatione venerabilem, auguſtam, ſanctiſſimam, amplitudine Tui nominis tuendum, ornandumque trado. Atque Arretinis Tuis veteribus Clientibus optimus Patronus, totique Eccleſiæ ſanctæ Dei diu multumque vive feliciter, Princeps Eminentiſſime, cujus ego Sanctorum oram Veſtimentorum humi provolutus obſculor.*

*Datæ Arretii Calend. Septembr. anno Æræ vulg.* 1754.

Digitized by Google

# ADPROBATIONES.

Jubente Reverendiſs. Patre Joſepho Auguſtino Orſi S. P. A M. accurate perlegi. *Vindicias Sanctorum Martyrum Aretinorum a R. D. Angelo Laurentio Grazini conſcriptas*, nihilque in iis animadverti correctione dignum, quod Orthodoxæ Fidei, boniſque moribus adverſetur; quin potius Diſſertationem ad eruditæ veritatis ſpeciem, ad antiquorum monumentorum memoriam, ad hiſtoricæ narrationis veritatem exactam deprehendens, non poſſum niſi ſummis laudibus egregium hunc ingenii fœtum extollere. Prudens præclari ſcriptoris conſilium, ac ſingulare de inſigni Eccleſia Arretina benemerendi ſtudium, quo in avitam prudentiſſimæ credibilitatis, nec non ſaluberrimæ pietatis poſſeſſionem Sanctorum Martyrum, bene multorum memoriam revocaturus, quos pervetuſta Hetruriæ traditio ad memoratæ Eccleſiæ Arretinæ decus & ornamentum ſpectare probaverat, e tenebrarum caligine eru. tam, ex Codicibus, Carthofilaceis, aliiſque ejuſdem Eccleſiæ genuinis monumentis, ſtudio ac labore conquiſitis, & evolutis, in apertam lucem producit: ac ita eamdem venerandæ antiquitatis Religionem in vetuſtiſſimis Litaniis inſertam, a cavillationibus tamen & paralogiſmis interceptam, vindicat, ut pruriginoſam de inſignium antiquorum monumentorum ſinceritate præpoſtere ſentiendi libidinem coerceat. Quare opus hoc, non modicam laudum meſſem Auctori allaturum, prælo dignum exiſtimo ac tum Eccleſiaſticæ antiquitatis cognoſcendæ ſtudioſis; tum incremento cultus fidelium erga eos Chriſti Pugiles; tum demum excitandæ eorum virtutis imitationi maxime profuturum, imitandum enim nobis proponitur, ut loquitur S. Petrus Chriſologus, quod in memoria Martyris celebramus. Datum Romæ in Collegio Carmelitarum Excalceatorum S. Mariæ de Victoria Decimo ſexto Kalendas Decembris anni Æræ Chriſtianæ MDCCLIV.

*F. Theodorus a Spiritu S. Congr. Sacr. Rit. Conſ.*

LEgi, & diligenter expendi, juſſu Reverendiſſimi P. Joſephi Auguſtini Orſi S. A. P. M., Diſſertationem R. D. Angeli Laurentii Grazini, cui titulus, *Vindiciæ Sanctorum Martyrum Arretinorum*, in qua nihil offendi vel Chriſtianæ Religioni, vel bonis moribus adverſum, ſed omnia docte, & pie conſcripta, & valde ad Eccleſiæ Arretinæ dignitatem, & laudem conducentia. Propterea dignam cenſeo quæ typis in publicam lucem proferatur.

Ex Collegio Clementino hac die 18. Decembris 1754.

*D. Jo. Franciſcus Baldinus Cl. Reg. Congregationis Somaſchæ.*

---

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſs. P. M. S. P. A.

*F. M. de Rubeis Patriarch. Conſt. Viceſgerens.*

---

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Ord. Præd. Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Ap Soc.

Digitized by Google

# VINDICIÆ.

## SS. MARTYRUM ARRETINORUM &c.

### *DISSERTATIO.*

VEtustas quaſdam Litanias in involucro ignobilis libelli nuper fortuito repertas, ignique (heù facinus!) jam devotas eruditiſſima diſſertatione inluſtravit ereptas flammis doctiſſimus Pater Abbas Joannes Chryſoſtomus Trombelli Canonicus Regularis, quam deinde una cum Litaniis ipſis pubblici juris fecit anno 1745. Clariſs. Auctor Collectionis Opuſculorum &c. *Volumen. 32. Typis edition. Venetiis apud Simonem Occhium*. At vero grave onus ſibi imponi arbitratur Reverendiſs. Abbas, ſi de Eccleſia, in qua hujuſmodi Litaniæ canerentur, judicium ferre cogatur. Statuit tamen non niſi ad unam aliquam ex Italicis eas pertinere potuiſſe: Si quidem ipſa charactèrum, quà conſcriptæ ſunt, forma, ipſaque Sanctorum id ſua-



Digitized by Google

det invocatio; quorum plerique aut Itali ſunt, aut noſtra ſaltem Italia percelebres. Nihilo tamen minus hæret dubius, quænam ea ſit, cui Litanias potiſſimum adjudicet. Rejicit quidem Mediolanenſem, Bononienſem, Ravennatem; rejicit & Romanam ipſam; Etruriamque tandem ingreſſus Lucam confugit, atque Arretium; tandemque pro Arretina Eccleſia ſubſcribit, ſed tamen ſubdubitanter, & ſine certa aliqua adfirmatione. Eſto enim legat in Litaniis ſuis Donatum, Hilarianum, Laurentinum, Pergentinum, Floram, & Lucillam, quos Arretinorum Martyrum Faſtis evadere nefas & ipſe judicet; longe tamen plures inibi occurrunt, de quibus, quid decernat, ſe haud noſſe fatetur; ideoque hujuſmodi ſpartam aliis integram ſervat, & illibatam. Verum Deus Immortalis! facili plane negotio omni ſe poterat dubitatione Vir Sapientiſſimus extricare, modo vel unum, quemcumque Arretinorum hominem hac ſuper re conſuluiſſet, quo ſemel audito, nihil erat reliqui ad litem penitùs dirimendam. Quas igitur a noſtris ipſe, neſcio quo fato, notiones non eſt expiſcatus, eas ultro oblatas libens excipere, & æqui bonique facere haud detrectet: his enim perlectis, penſatiſque, certo eum comperturum confido, Litanias ſuas, de quibus eum amamus plurimum, Eccleſiæ huic Arretinæ noſtræ ſingulari prorſus jure fuiſſe aſſignandas; & hinc factum

ctum iri, ut litem, quam aliorum judicio componendam attribuit, ſuo ipſemet ſtatim dirimat. Hujuſmodi autem ſunt Litaniæ.

| | | | |
|---|---|---|---|
| §. I. | | S. Luca. | or. |
| Chriſte audi nos. | iiI. | S. Marce. | or. |
| Sancta Maria. | or. | S. Johannes. | or. |
| Sancta Mater Dñi. | or. | S. STEPHANE. | or. |
| Sancta Regina Mũdi. | or. | S. Line. | or. |
| S. Angele. | or. | S. Clete. | or. |
| S. Arcangele. | or. | S. Clemens. * | or. |
| S. Michahel. | or. | S. Xiſte. | or. |
| S. Gabrihel. | or. | S. Corneli. * | or. |
| S. Raphahel. | or. | S. Cipriane. | or. |
| S. Johannes. | or. | S. Laurentii. * | or. |
| S. Petre. | or. | S. Chriſochone. | or. |
| S. Paule. | or. | S. DONATE. | or. |
| S. Andreas. | or. | S. ILLARIANE. | or. |
| S. Jacobe. | or. | S. SATHIRE. | or. |
| S. Johannes. | or. | S. ANTIME. | or. |
| S. Thomas. | or. | S. FORTUNATE. | or. |
| S. Jacobe. | or. | S. MERENTIANE. | or. |
| S. Philippe. | or. | S. ASTERI. | or. |
| S. Bartholomee. | or. | S. LUCILLE. | or. |
| S. Mathee. | or. | S. NABORIS. | or. |
| S. Simon. | or. | S. ALBINE. | or. |
| S. Datdee. | or. | S. LAURENTINE. | or. |
| S. Mathias. | or. | S. PERGENTINE. | or. |
| S. Barnaba. | or. | S. Coſmas. | or. |

S. Da-

S. Damiane. or.
S. Caſſiane. or.
S. Calixte. or.
S. Projecti. or.
S. Vincentii. or.
S. AMSABNE. or.
S. Adriane. * or.
S. Jeminiane. * or.
S. AUGUSTINE. or.
S. Hermes. or.
S. Marine. * or.
S. MARCELLIANE. or.
S. Maurici. or.
S. Ruſtice. or.
S. Candide. or.
S. Gurdiane. or.
S. Pimache. or.
S. Pancratii. or.
S. Nicomedis. or.
S. Juſtine. * or.
S. Jervaſi. or.
S. Protaſi. or.
S. Abdon. or.
S. Senes. or.
S. Feliciſſime. or.
S. Agapite. or.
S. Ciriace. or.
S. Ypolite. * or.
S. Caſſiane. * or.

S. Apollenaris. * or.
S. TIMOTHEE. or.
S. Proti. or.
S. Jacinthe. or.
S. NAZARI. or.
S. Celſe. or.
S. Theodore. or.
SS. XLTA. or.
SS. IIII. Coronati. or.
SS. IV. Fratres M. or.
S. Benedicte. * or.
S. Martine. * or.
S. Brici. or.
S. LEO. or.
S. Silveſter. or.
S. Gregorii. * or.
S. Anaſtaſia. or.
S. Felicitas. or.
S. Perpetua. or.
S. Agatha. or.
S. Lucia. or.
S. Anaſtaſia. or.
S. Xpina. * or.
S. Muſtiola. * or.
S. Reparata. * or.
S. Savina. * or.
S. Margarita. * or.
S. Julitta. * or.
S. FLORA. or.

S. Lu-

| | | | |
|---|---|---|---|
| S. LUCILLA. | or. | Propitius eſto. | par. |
| S. Eugenia.* | or. | Propitius eſto, | par. |
| S. Jeruſalem. | or. | Ab omni malo. | lib. |
| Omnes SS. Virgines. | or. | Ab indignatione tua. | li. |
| Omnes Sancti. | or. | Ab ira tua. | lib. &c. |

Subſequuntur aliæ ſeptem, & quinquaginta precationes, quas libens omitto; ad ea ſiquidem, quæ mihi diſcutienda propoſui, minus facere videntur. Iccirco autem nonnullorum Sanctorum nominibus notam hanc * adjeci, quod eos non quidem noſtrates fuiſſe, ſed ad noſtram Eccleſiam aliquo modo pertinuiſſe palam facere mens eſt. Quæ vero nomina grandioribus exarata ſunt litteris, Sanctos illos deſignant, quos noſtri juris prorſus eſſe, quiſque, ni fallor, fatebitur, ubi meam hanc, qualiſcumque ea ſit, lucubrationem perlegerit. Sermo itaque primo ſit.

## §. II.

### *De SS. Stephano, & Donato.*

QUod S. Stephanus, Sanctuſque Donatus præcipue ab Arretinis honore colantur tamquam Civitatis Patroni ſingulares; præterquamquod in vetuſtiſſimis Cathedralis noſtræ monumentis certo certius apparet paſſim; membraneum ipſum Arretinorum ſtatutorum volumen anno ſcriptum 1503. & in publico Urbis Archivo ſervatum ſub ipſum initium edocet manifeſte;

ſic

ſic enim ibi ( pag. 1. ) *In nomine SS. & Individuæ Trinitatis &c. Glorioſi Protomartiris Stephani, & S. Præſulis & Martyris Donati Epiſcopi Patronorum, Advocatorum, & Protectorum Civitatis Aretii &c.* Idipſum indicant ſacræ eorum Imagines vetuſtis in Tabulis, quotquot adhuc ſuperſunt, ſive etiam in parietibus hac illac antiquitus depictæ; perpetuo ſiquidem conjunctæ apparent, & inter utroſque ſancta, ( ut vocabant majores noſtri ) Regina Mundi eminere conſpicitur. Huc adjicias, quod tribus hiſce Cælicolis Mariæ ſcilicet, Stephano atque Donato primitus ſacra fuit Ædes Cathedralis, hodie funditus diruta, olim vero in parvo Colle Urbi finitimo condita, circa planitiem, quæ dicebatur *Pionta*, non procul a *Caſtro Fluvio*, & a *Rivo*, qui dicitur *della Sella*, & a *Foſſato*, ( ſic enim appellabant ), *Vingone*: Per quæ confinia, nemo eſt ex Noſtratibus, qui neſciat, locum illum adamuſſim ſignari, qui hodie dicitur *il Duomo Vecchio*, antiquitus vero *Domus*; quæ quidem confinia declarantur in charta donationis de anno 1054., quæ in Archivo Cathedralis habetur ( ſub n. 153.) & item in alia emptionis de anno 1086. ( ibidem ſub num. 319. ) ad quas lectores allego. Hinc factum eſt, ut *Hugo*, & *Lotharius Italiæ Reges* per Diploma *Arretii datum* 15. *Kal. Aprilis*, *Anno Dominic. Incarn.* 939. *Regnorum Hugonis* 13., *Lotharii ejus filii ſeptimo* ( ut videre eſt in eodem Tabu-

S. Maria de Piumbes.

Digitized by Google

Tabulario Canonicæ Arretinæ ſub n.35.) „ Largiri ſe dicant Beatæ Mariæ, Sanctoque Stephano Protomartyri, ac S. Donato Martyri „ quandam Silvam juris Regni eorum, *Arbororum* nuncupatam, cum ſervis nonnullis, in „ Comitatu Aretino &c. ut ad uſum ſacri Tecti, & domuum prælibatæ Eccleſiæ ligna ſumantur „.

Hinc Adalbertus Arretinus Epiſcopus anno 1015. „ Canonicis ſuis bona donat complura, Deo, B. Mariæ, Sanctiſque MM. Stephano, Donato, atque adeo etiam Hilariano ſervientibus „ (ibidem ſub n. 53.) Hinc Petrus quidam Liutardi anno 1022. alia bona tradit „ Eccleſiæ S. Donati Epiſcopio Aretino „ ad uſum Fratrum Canonicorum, ibidem Deo, „ B. Mariæ, & Protomartyri Stephano famulantium (ibidem ſub num.70.) Sic & alii ſexcenti, quos brevitatis gratia prætermitto „.

Quomodo vero hanc ab ultima antiquitate conditam Ædem, in qua hujuſmodi famulatum præſtabant Canonici, Helempertus, ſive Helmpertus Epiſcopus Arretinus ante annum 1009. magnifice inſtauraverit, & ab Romano Pontifice dedicandam curaverit; Quomodo deinde novam aliam S. Donato ſingulariter ſacram Albertus, ſive mavis dicere Adalbertus, de quo ſupra, excitare inſtituerit juxta Eccleſiam primam, quæ communem S. Donati cum B. Maria,

ria,

ria, Sanctoque Stephano habuerat nomenclaturam; tum quomodo grande opus abſolverit Theodaldus item Epiſcopus, & Bonifacii Tuſciæ Marchionis germanus frater ante an. 1026. uſus opera cujuſdam Maginardi Architecti, qui hujuſmodi ædificium erexit ad exemplar magnifici templi S. Vitalis Ravennatis, quo Adalberti juſſu ſe contulerat, ut illud ductis lineis deſignaret; Quomodo demum in novam hujuſmodi Ædem ipſe Theodaldus S. Donati corpus ab proximo Mariano, ſeu Stephaniano Templo, ubi eatenus jacuerat, totius fere Tuſciæ, multorumque Antiſtitum interventu, tranſtulerit, Templumque ipſum ſimul dicarit; ſingula hæc, inquam, ex certiſſimis monumentis Cathedralis apparent manifeſtiſſima, quæque uti ad rem noſtram minime facientia prætermitto.

## §. III.

*Quare Arretini Patronum ſibi elegerint S. Stephanum Protomartyrem.*

INterea mirum videri poteſt, quare Majores noſtri ab S. Stephano voluerint vetuſtis illis ſæculis, matrem eorum Eccleſiam nuncupari. Sunt, qui aſſerant, in quibuſdam hodie deperditis pugillaribus id fuiſſe olim ſcriptum, quod recentioribus criticis minus fortaſſe probabitur; nimirum poſt S. Protomartyris cædem ex Paleſtinis locis nonnullos Apoſtolicæ Scholæ ſectatores

tores

tores auſugiſſe; Deoque eorum moderante itinera, in Etruriæ noſtræ partes advenifſe, & primam veritatis lucem una cum Stephani notione advexiſſe. Verum quidquid id ſit; nihil enim præter auditum habeo; hoc planè certum, quod in Cathedrali Arretina ab vetuſtiſſimis fermè ſæculis, quorum nulla extat recordatio, veſtis quædam ſubalbida habetur, quæ antiquitatem ſapit omnino. Hanc etiam num ſanguine hac illac reſperſam S.Stephani veſtem appellant, clauſamque intra thecam elegantiſſimam ex argento, ſemel, & bis quotannis Arretini religioſiſſime colunt: Monumentum ſane pretioſum, dignumque, in quo nobis Chriſtianæ Urbes reliquæ ſatis invideant. Enim vero ſacræ hujus veſtis particulam anno 1625. enixe rogantes a Capitulo ejuſdem Cathedralis obtinuerunt Legati Sodalitatis ab eodem S. Stephano Senis nuncupatæ *lib. Capitular. Decret. pag.* 114. 116. *&* 119.; & longe ante, anno ſcilicet 1498. ſimili munere donatos fuiſſe, Epiſcopo noſtro Coſma de Pazzis intercedente, incolas Prati in Etruria, conſtat ex litteris in Archivo ejuſdem Cathedralis *Filza* 2. *numer*. 7. Noviſſime vero, memoria noſtra, Arretinos Canonicos, ut Sereniſſimæ Violanti a Bavaria, Ferdinandi tunc temporis Etruriæ Magni Principis uxori lectiſſimæ, morem gererent, aliud item Stephanianæ veſtis fruſtum muneri Florentiam miſiſſe, nemo eſt,

 qui

qui ignoret. Ultimo tandem loco reticendum non videtur, Eccleſiam S. Petri Majoris, intra Arretium, anno 1203. ab Innocentio PP. III. Veteri Cathedrali, extra muros ſubrogatam (*Archiv. Canonicor. num.*488.492.493. *&* 720.) ab SS. Donato, & Stephano, æque, ac vetus illa, nuncupari. Sed de S. Stephano ſatis.

## §. IV.

*S. Donati Annua feſta Arretinis celeberrima.*

De Sancto autem Donato; præterquamquod nedum P. ipſe Abbas Trombellus, verum etiam quicumque de eo, vel ſcriptis, vel voce meminerunt, noſtrum faciunt, nemine diſcrepante, Victorque PP. II. ait in ſua Bulla, data anno 1057. *B. Donatus Sanctæ Aretinæ Eccleſiæ Martyr, & Epiſcopus & Tuſciæ Apoſtolus* (Archiv. Canonicor. Arret. num. 170.); ſatis arbitror (ut cetera deſint) ad eum Sanctorum noſtrorum Albo adſcribendum; illud dumtaxat ſignificare, quod tum in Arretina Urbe, tum in Diœceſi, & lege, & more ab antiquiſſimis temporibus ſancitum eſt; nempe ut ſeptima Auguſti menſis dies ejuſdem Martyris honori ſit quotannis ſolemniter ſacra; & ad dies octo feſta protrahantur, præenianturque jejunio, & ſupplicatione per Urbem frequentiſſima, municipali lege (*lib.* 1. *pag.* 1.) indicta: qua omnium ordinum hominibus ad Cathe-

Tusciae Apostolus, quod in Tuscia Evangelium adnunciaverit circa annum 360. Ergo tunc in Tuscia Gentiles erant ut plurimum

Cathedralem Eccleſiam confluentibus, comitantibuſque, S. Donati corpus inde, ubi perpetuo requieſcit ſub Ara majori marmorea, inſtar magnifici Mauſolæi anno 1286. ædificata, eximiiſque ſculpturis ornata (*vide* §.34.), quibus vita, Martyrium, & miracula S. Præſulis inſpicienda exhibentur; inde, inquam, ſacrum corpus intra argenteam capſam circumfertur per vias: iterumque in eadem Cathedrali ab univerſis Urbis Magiſtratibus, aliiſque publicis Viris ipſamet feſta die honoratur, & colitur. Qui quidem Magiſtratus ad Eccleſiam item Plebis S. Mariæ Arretinæ, quæ eidem Cathedrali perpetuo, & Canonicè unita eſt, publicè adcedunt in pervigilio Feſti, ſacrum ejuſdem S. Epiſcopi caput veneraturi, quod ibidem ſumma religione ſervatur. At hæc, utpote quæ recentiora, non valde forſan legentibus arrident: Scrutemur itaque rurſus pretioſum Tabularium Canonicæ Arretinæ. Ecce ſtatim (*num.* 854.) præſto eſt fragmentum Conſtitutionum Boſi Epiſcopi Arretini, anno 1345. editarum ejuſdem auctoritate Epiſcopi per novem Officiales Cleri. Ibi *caput* XXVI. *De feſtivitate B. Donati Mart. celebranda. Cum B. Donatus capud ſit & patronus Cathedralis Eccleſiæ* (intellige hodiernam, in quam Canonici, ab uno jam ante ſæculo cum fere dimidio, ab ſuburbana tranſmigrarant) *ac Civitatis & Comitatus Aretii, ejus feſtum debet*

B 2 *ab*

*ab omnibus Arretinæ Civitatis & Diœceſis ſolemniter celebrari ; & ad hoc 40. dies Indulgentiæ conceduntur cuſtodientibus feſtum ipſum , & ad ejus Eccleſiam venientibus &c.* Ceterum de rebus ad Sanctum Donatum ſpectantibus plura perſequi ſupervacaneum eſt ; tam cognita enim ſunt omnibus , quam quæ maxime . Interea ex paucis his prælibatis Reverendiſſimus Trombellus noverit, Arretinos ab ipſamet S. Stephani , nedum S.Donati , invocatione , allatas ab ipſo litanias in jus ſuum vocare cœpiſſe . Gradus itaque ad alios Martyres fiat, qui Donatum ſubſequuntur : Non enim is ego ſum , qui , quos ante ipſum exorabant majores noſtri , velim inter noſtros recenſere , Stephano uno excepto , quem quanto jure ſibi vindicent Arretini , oſtenſum jam ſatis arbitror , non utique tamquam Civem , ſed tamquam alterum ex Patronis . Veniam modo ad Patrios , & Indigetes.

## §. V.
### *Inſcriptio lapidea Arretinæ Cathedralis illuſtratur .*

AT prius marmoreum lapidem illum juvat in medium proferre , qui in pariete hodiernæ Cathedralis noſtræ ſub ſepulcro plurimorum Martyrum extat , vulgò *il ſepolcro di S. Satiro* . In eo autem lapide vetuſtis notis exarato , & bifariam ſejunctis , per anaglipticam cujuſdam Epi-

Epiſcopi imaginem, utrique inſcriptionis parti interjectam, hæc, quæ ſubdo dextrorſum inſculpta leguntur

ANNO DNI NRI YHU XPI CIƆCCCXL TPR DNI BENEDICTI PAPE XII INDICT. VIII TPR DNI BOSI DEI GRA EPI ARETINI. INFRASCRIPTE LICTERE FUERUNT REPERTE IN QUODAM PILASTTO MARMOREO SUPRA *SEPULCRUM* S. MARCELLI, ET CAPSIE EJUS FILIE, ET XII MARTYRUM YHU XPI, & LIV NOBILISSIMORUM, ET *NOTISSIMORUM* OMNIUM DE URBE ARETINA. QUI S. MARCELLUS FUIT VICARIUS GENERALIS JUSTISSIMI IMPERATORIS THEODOSII: QUI THEODOSIUS DOTAVIT ECCLESIAM S. DONATI, ET S. MARCELLI.

*Animadverſio in hanc Inſcriptionis partem*.

Narratiunculæ hujus fides in eo fortaſſe laborat, quod dicitur inibi de S. Marcello; ſcilicet quod Theodoſii Vicarius fuerit, quodque Imperator ille Eccleſiam S. Donati & S. Marcelli dotaverit: Res enim hujuſmodi nullo, quod ſciatur, fundamento innituntur. Verum, ſi minus vera ſunt ejuſmodi enarrata, inſcitiæ decimiquarti ſæculi facile poſſunt condonari: Illud vero certiſſimum eſt, quod in Arretinis Annalibus legitur apud Ludovicum Antonium Murato-

rium ( *tom.24. Scriptor. Rer. Italic. pag.856.* ) ad annum 1338. ubi:

*Die* 13. *dicti Menſis* ( Octobr. ) *inventæ fuerunt Reliquiæ B. Marcelli, & aliorum Sanctorum prope Oratorium S. Stephani prope Domum extra Civitatem: & inventus eſt quidam ſaxus marmoreus in ipſo monumento ſic ſcriptus; & expoſitas iſtas litteras habuimus a quodam Fratre S. Dominici, quæ litteræ ſic incipiunt* * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

Num litteras expectas? fruſtra ſane expectas. Muratorius enim, poſt modo allata, magnam habet in ſuo libro lacunam, chartamque punctis, ſtelluliſque, ( ut ſupra & ipſe feci aliquanto ſpatio ), imprimendam curavit. Enim vero quid aliud faceret homo inter nos peregrinus, quum noſtri exemplum Annalium ad eum tranſmiſerint, in quo tamen deerat, quæ ibi promittebatur, Epigraphe? Iſta vero fuerat ex lapide Cathedralis noſtræ, ni tamen fallor, deſumenda; in quem ex marmoreo ſaxo, intra ſepulcrum invento S. Marcelli, aliorumque Sanctorum, ( ſcilicet *S. Capſiæ* & 12. *Martyrum*, & præterea 54. *nobiliſſimorum &c.* ) eam juſſerant diligenter inſculpi majores noſtri. Sic enim poſt narratiunculam ſuperius allatam proſequitur lapidis cælatura, intervallo prorſus nullo.

.§. VI.

## ſ. VI.

*Inſcriptionis lapideæ altera Pars. dextrorſum.*

QUISQUIS HUJUS CONSPICUI OPERIS CLAUSTRA CONSPEXERIT.... CUNE.... MUNDE ..... IN QUA EPISCORUM ..... ET MARTYRUM MENBRA QUIESCUNT HUMATA ..... NICHIL ALIUD EIS DULCIUS FUIT, QUAM AULA REGIS SUPERNI.... NULLIS COTRARIUS FUI ....... VITIA REPRIMENDO INIQUA, ET IMITATI SUNT OMNES SEMPER VITAM TOTAM SS. PATRUM. DEO GRATIA. AMEN.

*Animadverſio.*

FAteor quidem vix poſſe, quid iſta ſibi velint, percipi; nec liquet, utrum temporum illorum arguenda potius barbaries ſit, an veteris mutilatio ruderis, an etiam multo magis Dominicani Interpretis inſcitia. Voces tamen illæ duæ *Cune Munde* in unam profecto coaleſcere debent, & Langobardicum forte nomen efformare *Cunemund*. De vocibus autem ſic diviſis, atque priſco uſu inter ſcribendum bipartitis, quicumque veteres Membranas lectitat, nihil ſolet ambigere. Quod vero Arretinus Præſulatus ſæc. VIII. ab *Epiſcopo Cunemundo, ſive Cunemund*, detentus fuerit, manifeſtum eſt ex ſæpius memorato Tabulario Cathedralis noſtræ (*ſub num.* 3.) ubi ſeries ſcripta legitur vetuſtiſſima noſtrorum Anti-

tiſtitum. Hinc ad ſæculum illud VIII. hanc Inſcriptionis partem ab ſua origine referendam puto. Iterum Cunemundi hujus habetur mentio in diplomate Caroli Magni, quod infra affertur ad §. 20. circa finem, ubi agitur de Eccleſia B. Benedicti. Tu locum conſule. Ego autem interea, forſan non falſo divinans, arbitror, quod Epiſcopus ille Cunemundus Clauſtrum Eccleſiæ primitivæ Arretinæ, quam a S. Stephano diximus fuiſſe nuncupatam, vel condiderit, vel ornarit, operiſque ſui monumentum eo in lapide juſſerit inſculpi, qui deinde Anno 1338. inter rudera dirupti ædificii una cum Reliquiis BB. Marcelli & Capſiæ &c. repertus, ſic fuit ab Dominicano Interprete expoſitus, ut ejus ſententiam aſſequi non poſſimus. Arretini tamen biennio poſt Epigraphen, (qualemcumque ab tali magiſtro didicerant), in dextra lapidis noſtri parte cœlandam curarunt, ad rei memoriam perpetuam: utinam alio uſi eſſent interprete, cælatore alio; quem enim adhibuerunt tali erat vel ignorantia, vel negligentia, ut & narratiunculam, primo loco præmiſſam, ab Epigraphe non ſejunxerit, & voces illas duas SEPULCRUM, & NOTISSIMORUM ſuis locis non exculpſerit: quod ubi a legentibus animadverſum eſt, debuit eas ipſe extra lineas addere in tabula, & per notas aliquas ſignificare, quo eæ fuerant loco ponendæ; Quod ego peregi. Legito

rurſus primam Inſcriptionis partem §. præcedenti. .

## §. VII.

*Inſcriptionis lapideæ Pars Tertia ſiniſtrorſum*

AT progrediamur tandem ad ea, quæ exarata leguntur in læva ejuſdem lapidis parte, quæque ad rem noſtram unice faciunt. Sic autem ſe habent.

INFRASCRIPTA SVNT NOMINA REPERTA IN QVODAM PILASTRO MARMOREO, ET IN ALIIS LOCIS VENERABILIS ECCLESIE DOMI, QVORUM CORPORA IN PRAEDICTA ECCLESIA SVNT SEPULTA, ET MAXIME IN TVMBA SVPRADICTE ECCLESIE, QVE PRO XPI AMORE PASSA FVERVNT DIVTISSIMA MARTIRIA, VT IN EORVM LEGINDIS LATIVS CONTINETVR. NOMINA VERO INFRASCRIPTORVM MARTIRVM SVNT ISTA, VIDELICET IN PRIMIS S. SATIRVS EPS. S. DONATVS EPS. S. ILARIANVS MONACHVS. S. ATERIVS. S. LVCILLVS CLARISSIMVS SVBDIACONVS. S.MERITIANVS. S. FORTVNATVS. S. NABBO. S.ANESTASIVS. S.LEO. S.ALBINVS. S.BACILIVS. S. DEOMOSTODIS. S. FORTVNATVS. S. ANDREAS CVM DVOBVS MILIBVS QNGETIS NOAGDTA SEPTEM NATIRBVS SEPVLTIS, ET INVENTIS IN DIGTA ECCLESIA

CLESIA DOMVS, QVORVM FESTA, DIE XIX MENSIS AVGVSTI, FIVNT. S. DELFEBVS. S. FEMINEVS. S. FIMINEVS. S. MACCHARIVS QVORVM FESTA AGIMVS X. CAL. JANVARII AMEN.

ANNI DOMINI CIↃCCCXL DNO BENEDICTO XII TPR DNI BOSI, DEI GRATIA EPI ARETINI, ET SER FILIPPI TVNC RECTORIS DIGTE ECCLESIE DOMI. AMEN.

## §. VIII.

### *Animadverſio in Tabulam, ubi & de S. Hilariano.*

NOnnulla hic diſſerenda ſunt, ne marmoreæ hujus tabulæ fides concidat apud homines: ea ſiquidem Jacobo Buralo Patricio Arretino in hiſtoria noſtrorum Antiſtitum, & præcipue in vita Epiſcopi Joannis (*pag.* 30.) adeo anguſta viſa eſt, ut parvi-pendere, atque adeo rejicere tabulam non dubitarit. Cauſam autem ab eo ſciſcitanti, hanc unam affert, quia ſcilicet S. Hilariani nomen inſculptum habet. Quum enim ipſe putet Sancti hujus Martyris corpus ab Arretinis datum Hoſtienſibus in permutationem Anno 901., eo quod ad nos ipſi SS. VV. & MM. Floræ, & Lucillæ, nec non Eugenii Regis corpora tranſmiſerint; num ne nominis quidem memoriam ſervandam a majoribus noſtris fuiſſe ſibi ipſe ſuadet? Verum ille: in marmore Cathedralis

lis non de nomine S, Hilariani tantum, in paraſtata invento, ſed & de corpore agitur, aſſeriturque illud una cum aliis in *vetere Domo,* atque adeo in ejuſdem crypta fuiſſe ſepultum, quum tamen apud Hoſtiam Tiberinam hodie ſervetur. Eſto, ſervetur: quid tum? num aliquando apud nos ſepultum haud fuit? Verum unde habet Buralus hanc permutationem? non ſane ex Hiſtoria Tranſvectionis SS. Floræ, & Lucillæ, atque Eugenii Regis, quam typis ipſemet edidit in vita eadem Joannis Epiſcopi (*pag.* 29.); ibi enim aſſeritur, *quod Religioſus Pater Joannes Epiſcopus Arretinus ſacra ea corpora a BenedictoPontifice petiit, & obtinuit*; De permutatione antem cum corpore B. Hilariani ne verbum quidem; quæ tamen ſi contigiſſet, non fuerat hoc loco omnino tacenda. At reponit Buralus, non eſſe credendum, Hoſtienſes fuiſſe paſſuros, ut SS.Floræ, Lucillæ, & Eugenii ſpoliarentur exuviis, niſi Hilariani noſtri corpus in permutationem habuiſſent. Malos ſane negotiatores vides, qui tria cum uno corpore commutent. Hic vero Buralus ſe irriſum dolens, affert in medium Hiſtoriam S. Donati ex Martyrologio Adonis, quæ his verbis explicit: *Martyris vero Hilariani oſſa in Hoſtia civitate tumulata ſervantur*; & hinc habere ſe putat, quo poſſit me ſemper ridere. At ego verbis Adonis Hiſtoriam iterum Translationis oppono, de permutatione hac penitus con-

conticeſcentem: auctoritati autem ſcriptoris ſcriptores Bollandianos objicio *Act. SS. Tom.* 2. *Menſ. Aug. ad diem* 7. Hi ſiquidem aſſerunt, S. Hilarianum Monachum, Beatique Donati noſtri Socium, longe alium eſſe ab Hilariano illo, cujus Oſſa apud Hoſtiam Tiberinam coli dicuntur. Cur Adoni potius, quam Bollandianis fides habeatur? At ego ſic Buralum urgeo. Quonam anno cenſes, Jacobe, de permutatione, quam venditas, Arretinos cum Hoſtienſibus conveniſſe? num anno 901, quo iſti ad nos SS. Floræ, Lucillæ, & Eugenii corpora tranſmiſerunt? Verum paulo ſupra nonne audivimus (§.2.) Adalbertum Epiſcopum anno 1015. aſſerentem, Eccleſiæ ſuæ Canonicos B. Hilariano adhuc famulari? Inquies: forte tum apud Arretinos non adhuc S. Martyris momoria interierat, vix enim centum a permutatione interceſſerant anni. Eſto. Verum ego lego inter Arretinæ Canonicæ monumenta *num.* 585. poſt etiam annos trecentos quinque & triginta, nimirum anno 1237. „ Marcellinum Epiſcopum „ noſtrum meritis B. Mariæ, & SS. Donati, „ atque Hilariani confiſum indulgentias elargi- „ tum eſſe ſuppeditantibus opem Xenodochio „ B. Mariæ ante gradus Majoris Eccleſiæ Se- „ nenſis. „

Iterum lego „ Guillelmum Arretinum item „ Antiſtitem ſimiles Indulgentias impertitum „ feren-

„ ferentibus ſubſidium ad inſtaurationem Mo„ naſterii Monialium a S. Spiritu Ordinis S. Da„ miani prope urbis noſtræ muros, quod pro„ pter bellorum diſcrimina tunc everſum erat. „ Hæc autem Guillelmus ſe facere inibi ait „ *de Miſericordia Omnipotentis Dei, & SS. MM. Donati & Hilariani Patronorum. Anno 1262.*; Mirum ſane quod Majores noſtri, quum tot SS. MM. Reliquiis inſignibus potirentur, adhuc Patronum appellarent una cum B. Donato Hilarianum, quo ſeſe quatuor jam ante ſæculis ſponte privaverant. Quid, amabo, Jacobe Burale, quid inquam de mea hac ratiocinandi ratione videtur? quid ad iſta reponis? Habeant ergo Hoſtienſes Hilarianum ſuum: nos ſane noſtrum habemus inCathedrali intra B.Sathiri Sepulcrum, vel intra Cellulas Majoris Aræ. Quod tamquam certum arguitur ex Faſcia quadam Marmorea, quæ eidem ſepulcro S. Sathiri infra tabulam ſuperius deſcriptam (*§. 5. 6.* & *7.*) appoſita fuit poſt duo & ultra ſæcula ab ipſius ſepulchri conſtructione, & Tabulæ cœlatura: & quidem (ut tempora ipſa decebat) elegantiori ſcalpro recentior hæc faſcia cœlata apparet. Sic autem

§. IX.

## §. IX.

### *Inſcriptionis Lapideæ Pars reliqua, ubi iterum de S. Hilariano.*

SVPRADICTAE SS. RELIQVIAE (nempe eorum, quorum nomina Tabula exhibet ſuperior (*vide iterum* §. 5. & 7.) inter quæ B. etiam Hilariani nomen memoratur) POST VETERIS DOMVS EVERSIONEM, ANNO DOMINI CIↃIↃLXI IN HANC ECCLESIAM TRANSLATAE (nempe in hodiernam Cathedralem) PARTIM IN SVPERIORI, AC INFERIORI ALTARIS MAJORIS LOCO, PARTIM IN HAC VRNA CONDITAE SERVANTVR.

JUre ergo in vetuſtis Litaniis Arretinæ Eccleſiæ, quas P. Abbatis Trombelli beneficio ſingulari habemus, locum tenet ſtatim a S. Donato S. Hilarianus, utpote qui ſocius ejus perpetuus in vita fuit, ſocius in nece; ſociuſque tandem eſt in Loco etiam ſepulturæ. De S. hoc Martyre in Civitate & Dioceſi noſtra fit quotannis memoria ſolemnis 15. Cal. Sextiles; nec ea quidem recens, ſed vetuſtiſſima; ſiquidem uſque ab Annis 843. 961. & 1020. in Privilegiis Lotharii I., Adalberti Regis, Henrici item I. *Arch. Cathed. Arret. n.* 14. 38. 62. *&c.* mentio facta reperitur de quodam *Mercatu in Miſſa S. Hilariani*, apnd Domum veterem; cujus Mercatus jura Regia Principes illi Canonicæ eidem S. Do-

S. Donati elargiuntur, atque confirmant. Tantoque fuit in honore priſcis illis Sæculis S. Martyris memoria, ut principem Sacræ Camandulenſis Eremi Eccleſiam apud *Fontem Bonum* intra hujus Arretinæ Dioeceſis fines Theodaldus noſter Epiſcopus, quem ſupra indicavi §. 2., quique floruit ſæculo XI. ineunte, in SS. Donati, & Hilariani illuſtre nomen, Romualdo ipſo Camaldulenſis Congregationis Inſtitutore rogante, fundarit, erexerit, prædiis, & manſis (ſic enim vocabant) quamplurimis, & privilegiis, & immunitatibus ditarit, ut patet ex ejuſdem Theodaldi Chartis luculentiſſimis, quas ex Tabulario Camaldulenſi depromptas Typis edidit jam pridem Auguſtinus Monachus, ſæculo XVI.

Pro coronide tantum hujuſce Capitis unum profero, quod ponderis longe maximi mihi eſſe videtur ad Martyris gloriam fermè ſingularem, Teſtimonium ſcilicet Joannis S. R. E. Cardinalis Bona in Opere ſuo celeberrimo de Rebus Liturgicis, ubi *lib* 2. *cap*. 12. agens de Canone Miſſæ, hæc habet. *In Canone poſt B. Virginem, & Apoſtolos Martyres* XII. *numerantur &c. Codex Vaticanus* 4772. *addit Donatum, Hilarianum, Laurentinum, & Pergentinum*. Qui quidem Codex teſte Dominico Georgio, in adnotat. ad Martyrolog. Adonis ad diem Junii 3. ad uſum fuit Monaſterii Arretini SS. Floræ & Lucillæ. Hic vero cave, in mentem veniat, Hilarinum au-

diens

diens pro Hilariano, de nominis identitate (verbo ſit venia) ſuſpicari; utrumque enim paſſim occurrit, alterum pro altero in vetuſtis membranis. Demum de illuſtri Martyre cum laude loquitur B. Petrus Damiani in ſermone triceſimo octavo, quem inſcripſit *De SS. Donato & Hilariano*; & de quo a nobis legitur in Officio intra Octavam S. Donati: Nec facile intelligitur, cur ejuſdem ſermonis pars aliqua non item legatur in ipſius S. Hilariani Feſto, quod, ut ajebam, 15. Calendas Sextil. ſolemniter celebratur. Sed de S. hoc Martyre inter Patronos noſtros, ut dictum eſt, recenſito jam ſatis ſuperque.

## §. X.

*De S. Sathiro Epiſcopo & Martyre Arretino.*

AB Hilariano S. Sathirus in Trombellanis Litaniis occurrit. Hic primum aqua hæret Abbati doctiſſimo, parumque abeſt, quin credat, Sathirum hunc eum ipſum eſſe, cujus in Actis SS. Perpetuæ & Felicitatis mentio fit apud Ruinart. At in vetuſta noſtrorum Serie Epiſcoporum, cujus memini ſupra *§.6.*, Sæculo ſcripta XI. juſſu Gerardi Primicerii S. Donati, manu Geronis Arretinæ Eccleſiæ, ut ibi dicitur, notarii *Arch. Cathedr. n. 3* primus, & quaſi Arretinorum Antiſtitum Anteſignanus S. hic Sathirus offenditur. In Actis item S. Donati Adonianis frequentiſſima Sathiri mentio. Item in vetuſtio-

tuſtioribus, quæ a S. Severino Scripta feruntur, qui quartus fuit ab ipſo Sathiro Arretinorum Pontifex, ut videre eſt apud Baronium *Adnot. ad Martyrol. 7. Aug.*; Item in actis iis, quæ hodie in Eccleſia noſtra leguntur pro Officio perſolvendo, habemus Sathirum, ſive Saturum (utroque enim nomine appellatum reperitur) Noſtratem procul dubio fuiſſe, & ab eo S. ipſum Donatum Sacris eſſe initiatum, ſociumque adſcritum in Epiſcopatu.

Fateor, me hactenus dubitaſſe, fuerit ne, an non Martyrii lauream adſecutus Sathirus noſter; de ipſo enim Acta docent, quod *obdormierit in Domino*, quodque *eo vita functo*, S. Donatus in ejus locum ſuffectus ſit: Quæ quidem ſcribendi ratio potius mortem a natura, vel a morbo, quam ab hominum vi, & ſævitie declarare videtur. Verum quod modo eum videam in litaniis inter Martyres recenſitum, Martyrumque noſtrorum agminis quaſi ducem in marmoreo Cathedralis Eccleſiæ monumento eſſe conſtitutum *ſupra §.7.* libens è priore ſententia decedo, & Arretinis inſtitutis ſubſcribo, quibus ipſe tamquam Martyr ſingulis annis 14.Cal.Septembr. ſolemni officio percolitur. Adcedit, quod Martyr etiam inſcribitur in quadam Indulgentiarum ſerie vetuſtiſſima apud Canonicos Arretinos *Arch. Cathed. num.* 1026. quam Bartholomæus quidam Canonicus ſe reſcripſiſſe fatetur; quo anno ta-

men non liquet: Duos enim reperio Canonicos Bartholomæos in Arretinis monumentis, alterum anno 1218., alterum vero anno 1518. *ibid. num.* 520. *&* 1014. Ab quorum utro ſcripta fuerit Indulgentiarum ſeries, non auſim dicere: At certe vetuſtiſſima ab ſuo ſaltem principio eſt, & ad veterem Cathedralem extra muros modo dirutam pertinuiſſe non eſt dubitandum; ſiquidem inter alia & hæc ibi habentur ad menſem Auguſti: *A dì 7. dil detto, il dì dil glorioſo Protettor noſtro Santo Donato c' è il perdono, e remiſſione di colpa, e di pena, e per tutta l' Ottava ogni dì cento dì* (notetur hic certum propoſitæ rei argumentum) *e il medeſimo perdono è nella Chieſa Cathedrale dentro la Città*. Ergo membrana hæc ſpectat ad veterem ſuburbanam. In hac igitur Indulgentiarum ſerie S. Sathirus inſcribitur Martyr ſub die 5. Junii. Sic: *A dì 5. dil detto, il dì di Santo Sathiro Veſcovo e Martire c' è di perdono tre Quarantane, e dura da un Veſpro all' altro*. Addo demum a Bollandianis etiam Martyrem dici ad diem 19. Auguſti *tom.* 3. *pag.* 731. cum ſociis aliis Arretinis. Hic vero ſuboritur dubium, unde ſit, quod hodie 14. Calendas Septembris hujus Martyris apud nos recolatur memoria, quam, ex ea membrana liquido apparet, antiquitus die nonarum Junii fieri ab noſtris majoribus conſueſſe. Et quidem fugit me ratio: Illud etiam me movet, quod hodie feſta ejus dies agitur ex præſcripto

Calen-

Calendarii Arretini conjunctim cum duobus millibus & ſexcentis ac novem Martyribus in menſe Auguſto. Unde nam iſta rerum novitas, ac commutatio? Audi quid ſentiam. Quum in lapide Cathedralis (ut viſum eſt ƒ. 7.) Martyrum numerus poſt S. Andreæ nomen legatur numero quaſi cohærens, qui affertur in Calendario; hic enim: *S. Sathirus cum duobus millibus ſexcentis ac novem Martyribus*; ibi vero: *S. Andreas cum duobus milibus quingentis noagdta ſeptem natirbus*; factum hinc arbitror, ut Sathiri nomen, utpote quod primum omnium, quæ in lapidea tabula deſcribuntur, inſculptum eſt, præmitti cœptum ſit SS. hiſce Martyribus, Andreæ nomine omiſſo; eo forſan conſilio, ut uno tantùm Officio Sathiri merita, & Andreæ, & reliquorum recenſerentur. Quæ ſi ita ſe habent, animadvertant, quæſo, hi, quorum intereſt, utrum corrigendus hac in parte hodiernus officii recitandi ritus apud nos ſit, reddenduſque S. Andreæ Martyri ſit ſuus cultus, Sanctoque Sathiro locus ſuus.

## ƒ. XI.

### *De Sancto Anthimo Martyre Arretino.*

SAthirum in litaniis excipit Anthimus, de quo item nonuulla libet diſſerere, ex quibus manifeſto conſtet, eum Arretini juris eſſe. Eſto enim P. Abbas Trombellus tres tantum Anthimos in Baroniano inveniat Martyrologio, eoſque

que alienigenas; nihilominus nos quartum proferimus conterraneum noſtrum, cujus ſolemnem memoriam colimus ſingulis annis 5. Idus Majas. De ipſo cum laude loquuntur Acta S. Donati, quæ ſupra meminimus: nimirum, quod ex Anthimi diaconi manibus extortum per vim ſacrum vitreum Calicem, quem ad Altare geſtaret, in terram projecerint impii Præſidis Satellites; quodque Calicis fragmenta ab ipſo Anthimo, quantum fieri potuit, diligenter collecta Donatus miraculo ſolidarit. Prope Civitatem, qua vergitur ad ſeptentrionem, Ædicula adhuc eſt ſuperſtes, quæ a S. Anthimo cum tota vicinia nuncupatur. Et in Tabulario Canonicæ noſtræ *num.* 23. Archetypum extat Caroli Calvi Imperatoris Diploma. *Datum Agrippina Colonia anno* 877., cum monogrammate rubri coloris: Quo Imperator ille „ Johanni Arretino Epiſco-
„ po ejuſque Matri Eccleſiæ, ſub honore pre-
„ tioſiſſimi Martyris B. Donati fundatæ, con-
„ cedit æternaliter ad habendum Monaſterium
„ S. Anthimi in territorio Senenſi & Cluſino
„ conſtructum; ea tamen conditione, ut in dicto
„ Monaſterio maneant, & alantur quadraginta
„ Monachi ſecundum ſanctam B. Benedicti do-
„ ctrinam: Monachi vero ſint ſub adminiſtra-
„ tione, & Eccleſiaſtica auctoritate Epiſcopi
„ Aretini.

Hæc autem Caroli Imperatoris Donatio eodem

dem Anno 877. qui ejus Imperii ſecundus dicitur, ab Johanne PP. VIII. rata habetur, & *Iohanni eidem Epiſcopo, & Epiſcopio Beatiſſimi Donati Martyris confirmatur. Scriptum eſt per manum Leonis S. R. E. Scrinarii Menſe Auguſti Indict.* x. *ibid. num.* 22. At noſtris hiſce temporibus Epiſcopus Montis Ilcini ſe S. Anthimi Abbatem appellat; bona enim Monaſterii Epiſcopali ejus menſæ attributa poſtmodo fuiſſe feruntur.

Demum in quodam Lectionario, quod hic habemus ſcriptum, uti apparet, Sæculo XIV. de S. Anthimi noſtri Martyrio indubium profertur teſtimonium; ibi enim ſub die 7. Auguſti *Decollati ſunt cum Donato Anthymus Diaconus, Aſterius, & Lucillus ſubdiaconi, & Merentianus miles: alii quoque Quadraginta diverſis ſuppliciis perimuntur*. At dicendum modo nonnihil & de his eſt; quibus, ut a litaniarum ordine non diſcedatur, addendus eſt S. Fortunatus, & ex marmoreo Cathedralis monumento etiam S. Macharius: de S. Lucillo tamen in ∫. ſubſequenti: interea:

## ∫. XII.

### *De SS. Fortunato, Merentiano, Machario &c. MM. Arretinis.*

ANthymum, de quo ſupra, ſubſequitur in Trombellanis Litaniis Fortunatus; hunc vero Merentianus. Hos ſibi ignotos fatetur Ab-

bas eruditiſſimus; & licet complures dicat ſeſe Martyres inveniſſe Fortunatos nomine; qui tamen Merentianus nuncupetur, aut reperiſſe, ait, neminem, aut unum tantùm, quem memorat Corbejenſe Martyrologium: hinc conjecturis dans locum, ſuſpicatur, duos hos Martyres eos eſſe, qui in Martyrolog. Rom. Fortunatus, & Martianus appellantur, ideoque in noſtras Litanias errorem autumat irrepſiſſe, quæ Merentianum habeant pro Martiano. Verum, bona ejus venia, punctum non attigit: in lapide ſiquidem Cathedralis Noſtræ nedum unum, duos immo Fortunatos habemus, alterum ſeptimo, alterum vero decimoquarto loco inſcriptos; Meritianum autem loco ſexto. *Vide §.* 7. Neque eſt, quod in deliberatione te turbet varietas Nominis. Quis enim neſcit, *non pauca Martyrum nomina a Scriptoribus fuiſſe corrupta*? Verba iſta ſunt ipſius Trombelli in ſuamet diſſertatione ad litanias. His adjicito lapicidæ noſtri ruditatem; adjicito & nativam conſuetudinem Arretinorum mutilandi & corrumpendi vocabula. *Meritianus* ergo legitur in Lapide, *Merentianus* in Litaniis: nullius momenti diſcrimen. Habe modo aliam etiam hujuſce nominis varietatem. In vetuſto Horario membraneo, quod hic habemus in ſæpiuscitato Archivo Cathedralis noſtræ, *Emerentianus* occurrit per hæc verba; ibi inter Orationes Sanctorum in menſe Januario. *In SS. Emerentiani &*

*Mac-*

*Maccharii, quorum Corpora in noſtra requieſcunt Eccleſia*. Emerentianus item legitur in Serie Indulgentiarum, quam ſupra adlegavi ſ. 10. ibi ad eundem Januarii menſem *A dì 23. dil detto, il giorno di S. Emerenziano, e S. Macchario, c'è di perdono cento dì a tutti quelli, che ogn'anno in tal dì viſiteranno queſto Santo loco*.

In inferioris Cella majoris Aræ Cathedralis noſtræ habetur inter reliquias plurimas certi nominis Capſa quædam lignea eleganter ornata, anteriores duorum capitum partes continens, cum compluribus oſſibus: dicuntur in ea ſervari Corpora duorum ex ſociis S. Donati: nomina autem ipſorum fugiens ætas coecâ nocte texit. Nec mirum; forte enim fortuna complurium vetuſtorum Sanctorum, quorum Reliquiæ in Chriſtiano orbe coluntur, nomina adhuc ſuperſunt; & ea quidem non ſcripto manifeſta, ſed traditione; ſunt enim pleraque ſine autenticis litteris. Interea certum eſt, prædictum Horarium ad hodiernam Cathedralem, non vero ad veterem pertinuiſſe. Quum itaque in eo legatur, SS. Emerentiani, & Macharii Corpora in præſenti Cathedrali requieſcere; quis revocet in dubium, utrum ea ſint, quæ in lignea Capſa, quam meminimus aſſervantur; ſiquidem Capſa ſimilis omnino eſt cœteris, in quibus certi nominis Reliquiæ coluntur? Utinam Canonicorum ſtudia uſque adeo tandem excitentur, ut ſacra hæc duo

Corpora in priſtinum cultum, & honorem, ex quo, hominum incuriâ, non multis certe ab hinc ſæculis, exciderunt, rurſum curent aſſerenda. Quid vero eſt, quòd in ſerie Indulgentiarum adſignetur dies viceſima tertia Januarii Feſto SS. Emerentiani, & Macharii; cum in lapide Cathedralis, ut viſum eſt ſupra ∫. 7., Legatur inſculptum: ibi: *S. Delfebus. S. Femineus. S. Fimineus. S. Maccharius, quorum Feſta agimus* x. *Cal. Januarii?* Forte (ut ego quod ſentio, dicam) aliquando factum eſt, ut S. Macharii Corpus Corpori S. Emerentiani immiſceretur eadem in urna; & hinc ejus ſacra coli cœpta ſunt ipſomet die, quo S. Emerentiani ageretur memoria. At inquiunt, in theca illa lignea ſervari corpora duorum ex ſodalitio S. Donati: bene eſt, an non oſtenſum eſt *in præcedenti* ∫., una cum S. Donato Martyrium ſubiiſſe etiam Merentianum Militem &c. alioſque quadraginta variis fuiſſe ſuppliciis peremptos? Expreſſe ergo habes Merentianum; Macharium vero, ſi placet, ex Quadraginta illorum numero ſelige; forte enim non erraveris. At de S. Merentiano, ſive Emerentiano, ſive etiam Meritiano, deque veteri ejus ſepulcro mentio fit in Hiſtoria Translationis S. Donati, cujus nonnihil ego afferam infra ∫. 23. quod caput operæ pretium eſt conſulere.

∫. XIII.

## ſ. XIII.

*De SS. Aſterio, & Lucillo MM. Arretinis.*

SUccedunt Merentiano in litaniis Aſterius, & Lucillus Reverendiſſimo Trombello difficile admodum eſt ſtatuere, (quum multi Aſterii nomine Martyres inveniatur), quis nam ex ipſis hic invocetur: nobis Arretinis certiſſimum eſt eum invocari, qui in lapide Cathedralis *Aterius* inſcriptus eſt. Neque ſcrupulum injiciat litteræ defectus: hunc enim vel pronunciationi, quæ tum temporis erat in uſu, vel lapicidæ tribuimus incuriæ. De S. hoc Martyre hæc memorantur in lectionibus matutinis Officii, quod quot annis perſolvitur S. Donato: *Aſterius Aproniani Præfecti Filius a Dæmone obſeſſus, & miris cruciatus modis .... liberatur.* Quod autem deinde una cum S. Lucillo ad ſubdiaconi munus eum Donatus evexerit, quod item ambo capite damnati ſint cum Sancto eodem Præſule, ſignificatum eſt ad calcem ſ. præcedentis ex vetuſto Arretino lectionario. Hinc merito, quum neque in morte ſint ſeparati, alter poſt alterum exorabantur in litaniis Aſterius, & Lucillus. De hoc autem, deque ſingulari ejus Sanctitate, quid ultra teſtimoniis egemus, quum unus ipſe in marmore noſtro inſcriptus videatur cum Elogio: *S. Lucillus clariſſimus ſubdiaconus*? Sed iterum de S. Aſterio unum dicam, quod magni momenti omnino mihi eſt. Eſt autem hujuſmodi. Quum non-

nonnullis ab hinc annis, ſub finem ſcilicet elapſi ſæculi, in elegantiorem formam, ut hodie viſitur, Crypta illa ornaretur, in qua S. Donati Patroni noſtri pretioſum Caput, aliorumque Sanctorum Reliquiæ religioſe ſervantur, quibus ditiſſima eſt Eccleſia S. Mariæ Plebis Arretinæ. quam diximus alias, perpetuò, & Canonicè unitam eſſe Eccleſiæ noſtræ Cathedrali; Capſa quædam marmorea oblonga Oſſibus plena caſu erùta fuit, cum Epigraphe huiuſmodi, vetuſtis quidem, ſed elengantibus notis formata, S̄. JUSTUS; S̄. HERMENIUS. S̄. ASTERIUS. Tum inde non procul effoſſa eſt Pelvis vitrea bene grandis, exta continens, quæ ipſorum Sanctorum Martyrum credita ſunt, fuiſſe. Inſpicitur in pariete ſcalæ, qua in Tumbam deſcenditur, etiam hodie, pars anterior Capſæ cum ſupra allatis litteris. Oſſa illa ſacra intra arcam ligneam, ſimul cum Præcordiis intra ſuam ipſam Pelvim, at nuper argento eleganter ornatam, in Confeſſione Majoris Aræ una cum Capite B. Donati, brachioque S. Jacobi cognomento Interciſi, plurimiſque aliis SS. Reliquiis modo aſſervantur. Utinam ea ex marmorea capſa ſua nequaquam amoviſſent? Quid enim fuit ut dicerent tum temporis homines, ſe inveniſſe nova Sanctorum Corpora, quæ jampridem habebant? Nonne in promptù cuique erat Epigraphen legere, in baſi dextræ Paraſtatæ in eadem ara majori inſculptam hujuſmodi? BER-

BERNARD[s] (ſcilicet Bernardettus Minerbettus) EPS ARET. ARAM D. GEORGIO SACRAVIT, CORPORAQVE SS. JVSTI, ERMENII, ET ASTERII MART. ATQVE B. RAINERII ARETINI TRANSTVLIT, ATQVE IN HAC VRNA LOCAVIT A. D. MDLXIV DIE XXV MARTII. Sed de B. Rainerio dicetur infra §.27.

## §. XIV.

*De S. Nabore, ſive Nabbone, & S. Albino Arretinis Martyrib.*

IN tabula marmorea noſtra octavo loco S. Nabbo legentium oculis obverſatur, mihique inſpicienti ſtatim venit in mentem, ut arbitrarer, Nabbonem iſtum unum eſſe, & eumdem cum Nabore Litaniarum, ibi enim ſic invocatur, ut vidimus §. 1. *Sancte Naboris or.* Utrum tulerim punctum, ipſius Trombelli judicium eſto. Quum enim ipſe ſuſpicatus ſit, mendoſe ſcriptum eſſe in Litaniis *Merentianum pro Martiano*, cur & mihi ſuſpicari non liceat, vitium eſſe in Naboris nomine? Verum, ut quod ſentio, fatear, mendum potius ſuſpicor in Tabula, quæ quidem plurimis ſcatet undequaque, & in qua *Nabor Nabbo* legerem inſculptum. Interea; quidquid id ſit, S. Naborem, ſive Nabbonem jure, ni fallor, Martyribus noſtris adjicio. Poſt hunc autem exoratur in Litaniis

Albi-

Albinus. Num & hunc Sanctis noſtris accenſeam? At Socii Bollandiani ad diem 23. Junii multa differunt de S. quodam, quem modo Albanum appellant, adduntque eidem Socios Paulinum, & Nicetum; ſed quod ad Arretinam ſpectent Eccleſiam, ne muſſitant quidem. Enim vero ii, de quibus inibi agitur, nullo pacto poſſunt ad nos pertinere, cœteroqui notiſſimum eſt, plures ejuſdem nominis Martyres, uno eodemque anni die, ex Eccleſiæ inſtituto variis, & diverſis locis coli ab antiquiſſimis temporibus conſueſſe. Quo circa adeatur iterum marmorea Cathedralis noſtræ Tabula: ibi enim præſto erit ſtatim loco undecimo S. Albinus. Quid ergo mirum, quod invocetur in Litaniis? Paulinum quidem, & Nicetum Eccleſiæ noſtræ arrogare non audeo; nulla enim monumenta ad manus habeo, quæ mihi in re ſuffragentur, eorumque nomina neque in Tabula apparent, neque in Litaniis. Hanc tamen arguendi rationem, fateor, poſſe nimis infirmam videri: Non enim multam ſolent vim habere argumenta ea, quæ negativa appellantur. Enim vero alia multa deſunt utrobique (in Litaniis ſcilicet, & in Tabula) nomina Sanctorum, quos nihilominus noſtri juris eſſe, ſub finem hujuſce Diſſertationis maniteſtiſſimè demonſtrabo, (nimirum §. 22. & reliquis ad finem uſque Diſſertationis). Cæterum, ſi velim & Paulinum, & Nicetum etiam in jus Eccleſiæ

cleſiæ noſtræ advocare, fortaſſe Viris minus Criticis, & non valde moroſis levi negotio poſſim ſatisfacere. Audiant me igitur facili ingenio homines. Extat in Tabulario Cathedralis Arretinæ *ſub num.* 531. Involucrum membraneum non parvæ molis, acta litis continens inter Martinum Epiſcopum Arretinum, & Eremitas Camaldulenſes, veterem clientelam erga ipſum detrectantes. Ibi itaque appellatus teſtis in cauſſa coram Boninſegna Archidiacono Florentino, & Magiſtro Bonajuncta Canonico Caſtellano Delegatis ab Romano Pontifice Judicibus ſuper lite; appellatus, inquam, teſtis Guido Mazzolini Canonicus Arretinus anno circiter 1220., jurejurando affirmat „ Gregorium Epiſcopum Arreti-
„ num, obiiſſe in Menſe Junio *in die SS. Albini*,
„ *Paulini*, *&* *Niceti*; Martinumque in ejus lo-
„ cum fuiſſe ſuffectum poſt annum, quum a die
„ prædicto *S. Albini*, *Paulini*, *&* *Niceti* Arre-
„ tina Sedes vacaſſet ad Feſtum uſque S. Johan-
„ nis ejuſdem Menſis, ſed alterius anni „. Quid hoc eſt, quorum nomina Martyrum tam eſſent retroactis ſæculis Arretii inluſtria, ut in certiſſimum temporis teſtimonium in Judicialibus Actis eorum Feſta dies pronunciaretur? Num ad Eccleſiam noſtram ſingulari aliquo jure pertinuiſſe credendi ſunt? At eſto, S. Paulinus, Sanctuſque Nicetus nequeant inter noſtros enumerari; S.Albinum vero quis nobis contendat, quum & in

& in lapide Cathedralis nomen ejus legat inſcul-ptum ; & invocatum audiat in Litaniis inter in-dubios Martyres Arretinos ? Sciendum inſuper in ſacrario celeberrimi Monaſterii S. Floræ Ar-ret. Reliquias S. Albini M., inter alia bene mul-ta Martyrum noſtrorum, adhuc haberi. Suum itaque Bollandiani Albinum prædicent ; Arreti-ni vero ſuum ; & vix abſtineant, quin ſibi & Pau-linum, & Nicetum arrogent, non eos quidem, de quibus in Actis Bollandianis ipſis ; ſed alios, ejuſdem tamen nominis, & indigetes.

## §. XV.

### *De SS. Laurentino, & Pergentins Protomartyribus Arretinis.*

VEnio nunc ad fortiſſimos Pueros, & Arre-tinæ hujus Eccleſiæ quaſi conditores, Lau-rentinum, & Pergentinum, quos ſæculo 3. ſub Decio Cæſare ſæviſſime pro Chriſtiana Religio-ne peremptos *eadem Fides & Paſſio vere fecit eſſe germanos*, ut de ipſis nuper dici apud nos publi-cè cœptum eſt in ſacris. At de his diſſerturus, quò aptiore utar exordio, quam litteris illis, quas nuperrime vità functus contra omnium vo-ta Epiſcopus noſter & Pater optimus Carolus Philippus Incontrius ad Sac. Rituum Congrega-tionem dedit ? Quæ quidem litteræ tanti fuere apud Eminentiſs. Patres, ut decima Februarii die anni 1753. Eminentiſs. Urbis Vicario, jam pri-

pridem Epiſcopo noſtro optime merito, plurimum adnitente, Miſſam, & Officium proprium SS. Puerorum in Civitate & Diœceſi Arretina univerſa recitandum ab omnibus Sacra eadem Congregatio benigne indulſerit. En ergo tibi ſpectatiſſimi Præſulis ſane elegantes litteræ.

*Eminentiſs. ac Reverendiſ. Domini Domini & Patroni Colendiſſimi.*

,, Cogitanti mihi, totoque animo exoptan-
,, ti aliquid novi exhibere, quo in hac Arreti-
,, na Civitate, & Diœceſi erga Deum, & San-
,, ctos ejus pietas, & cultus magis magiſque
,, augeretur in dies; Divinitus factum eſſe vi-
,, ſum eſt, ut elapſis diebus & Capitulum Ca-
,, thedralis Eccleſiæ, & ſupremus Urbis Magi-
,, ſtratus, quaſi Cleri totius, & Populi nomine
,, Oratores, ad me ex inexpectato delegaverint,
,, qui, quo poſſent majore ſtudio, rogarent,
,, ut ad Apoſtolicam Sedem humillimas eorum
,, ſimul, & meas deferrem preces, Officium-
,, que, & Miſſam SS. Laurentini, & Pergenti-
,, ni, quæ hactenus ab immemorabili tempore
,, ſub ritu duplici in Civitate, & Diœceſi ſunt
,, dicta de Communi Plurim. MM., propria in
,, poſterum ut aſſignarentur, impetrarem. Ma-
,, ximo me id cumulaſſe gaudio non poſſum
,, non confiteri: Videbam enim, ſatis latam
,, viam meis votis perficiendis inde patefactum
,, iri,

„ iri, ſtatimque illud occurrit animo; quod, „ *quantum clarificata eſt Roma duobus SS. Fratribus Joanne, & Paullo; tam illuſtre Arretium* „ *factum eſt germanis hiſce Pueris Laurentino, &* „ *Pergentino.* Hinc tale concinnandum Officium „ curavi, quod, quantum fieri poteſt, cum Of- „ ficio SS. ipſorum Joannis, & Paulli conveni- „ ret; idque EE. VV. fore non ingratum ſpera- „ vi, quum nihil novum videritis in Breviarium „ noſtrum induci, præter lectiones ſecundi No- „ cturni; & eas quidem non recentiorum cala- „ mo exaratas; ſed ex eo ſermone deſumptas, „ quo B. Petrus Damiani ſummis laudibus SS. „ hos Pueros, Eccleſiæ hujus fundatores, ex- „ tollit. Humillimis hiſce proinde litteris in- „ junctum novi exemplar Officii, quod enixe „ poſcimus, EE. VV. oculis, & ſapientiſſimo „ judicio opuortune offeretur; & item pauca „ quædam, quæ ſatis eſſe duxi ad demonſtran- „ dum, quanta ſint, ſemperque fuerint in ve- „ neratione apud nos SS. hi Protomartyres no- „ ſtri. Sane eorum cultus eum ipſum exæquare „ videtur, quem Arretini ſingularem prorſus „ præſtant S. Donato Patrono. Oro igitur et- „ iam, atque etiam, ut æqui, bonique faciant „ EE. VV. petitionem hanc humillimam; idque „ nobis dare haud dedignentur, quo & Dei „ Gloria, & Sanctorum honor augeatur, & „ Clerus hic, & tota Civitas, atque adeo Dioe-

„ ceſis

„ ceſis univerſa mirifice in Domino delectetur.
„ Interea Sacram Purpuram humi devolutus de-
„ oſculor animo, quum ore nequeam.
EE. VV.

Arretii 18. Septembr. 1752.
„ Humus, Deditmus, & Obſeqmus Servus
„ Carolus Philippus Epiſcopus Arretinus.

Hæc ajebat optimus Antiſtes, quibus SS. noſtrorum vetus memoria ſatis illuſtratur. Verum ne pigeat ea etiam audire, quæ Epiſtolæ ſuæ addidit, magni momenti monumenta, argumentaque ad movendos Cardinalium animos validiſſima; quæque exhibuit una cum exemplari Miſſæ, & Officii, ab hujus Diſſertationis ſcriptore, ipſo jubente, diligenter elucubrato. Atque utinam tum temporis nobis veniſſet ad manus (quod nuper accidit) libellus Senis editus anno 1578. juſſu Stephani Bonutii tunc Epiſcopi noſtri, & deinde S. R. E. Cardinalis; in quo quidem libello methodum ipſe exhibet ſatis claram, laudabilemque, edocendi pueros Chriſtianam Cathecheſim: Ibi enim *pag.* 50. enumerans Epiſcopus ſingula Feſta ex præcepto ſervanda quotannis in ſua Diœceſi, præter ea, quibus univerſa obligatur Eccleſia, duo inſuper nobis aſſignat; Feſtum nempe S. Donati die 7. Auguſti, Feſtumque SS. Laurentini, & Pergentini die Junii 3.. ut videre eſt in Tabulario Cathedralis, ubi modo proſtat libellus ille ex dono ſpectatiſſimi Vi-

ri Alexandri Galletti Stephaniani Ordinis Equitis, & Canonici Arretini: utinam, inquam, id nobis innotuiſſet eo tempore; etenim monumentum hujuſmodi non erat profecto reticendum.

*Documenta ab Epiſcopo Arretino producta coram S. R. E. Cardinalibus pro SS. Laurentini, & Pergentini Officio proprio &c. obtinendo.*

„ De SS. MM. Laurentino, & Pergentino
„ præter ea, quæ leguntur in Martyrologio
„ Romano, & apud Bollandiſtas, quæque om-
„ nino reſpondent propoſitis lectionibus ex lon-
„ giore ſermone B. Petri Damiani religioſe de-
„ ſumptis, habetur in Sacramentario Vatica-
„ no (teſte Dominico Georgio in adnotationi-
„ bus ad Martyrologium Adonis nuperrime
„ apud Palearinos Typis editum Romæ) habe-
„ tur, inquam *Codice* 4772. *ſæculo* XI. Miſſa in
„ Natali ipſorum, cujus prima Oratio ut infra.
*Tuorum nos, Domine, precibus tuere Sanctorum; ut feſta Martyrum tuorum Laurentini, & Pergentini ſine ceſſatione venerantes, & fidei muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo. Per Dominum &c.*
„ Qua in Miſſa ad *Infra Actionem* commemorari
„ dicuntur eorum nomina, ſicut & in litaniis.
„ In Archivo percelebri Cathedralis Eccleſiæ
„ Arretinæ habemus vetuſtiſſimum Antiphona-
„ rium

„ rium membraneum, ubi etiam legitur ſupe-
„ rius allata Oratio ad diem 3. Junii, & SS Lau-
„ rentini, & Pergentini invocatio in Litaniis.
„ At noviſſime auctor clariſſimus Operis, quod
„ inſcribitur: *Raccolta d' Opuſcoli Scientifici Fi-*
„ *lologici tom.* 32 *num.* 7. in quadam Diſſertatio-
„ ne Reverendiſſimi P. Johannis Chriſoſtomi
„ Trombelli affert quaſdam Litanias, quas re-
„ fert ad ſæculum x. In iis ſimul cum viginti &
„ ultra SS. Martyribus, ad Eccleſiam Arreti-
„ nam pertinentibus, SS. Laurentini, & Per-
„ gentini nomina pariter invocantur. Quan-
„ ta autem in veneratione ſint apud Arretinos
„ SS. Hi duo Fratres, patet ex ipſo vigentium
„ Statutorum Civitatis libro, Florentiæ excu-
„ ſo uſque ab anno 1580. in Officina Georgii
„ Mareſcotti, ubi *fol.* 4. ſic legimus:

De Solemnitate celebranda in Feſto
SS. Laurentini, & Pergentini.
Cap. II.

*In die Feſtivitatis glorioſorum MM. Laurentini, & Pergentini Civitas Arretina, de qua traxerunt originem, & in qua fuerunt Coronam Martyrii conſequuti; de guerrarum fluctibus reſpiravit ad pacem, quam Deus eorum meritis conſervare dignetur.* (Innuitur hic Pax celebris inter Guelfos, & Ghibellinos Arretinos inita die 3. Junii a. 1345. poſt expulſionem Ducis Athenarum) *Unde ſtatu-*

*tum, & ordinatum eſt, quod die dictæ Feſtivitatis, quæ eſt tertia Menſis Junii, fiat, ac celebretur ſolemne Feſtum in Civitate Arretii, & in Porta Fori, & Angulo Crucis, ubi dictum Martyrium receperunt; & dicta die, & loco Rectores Fraternitatis S.M. Miſericordiæ, qui pro tempore erunt &c. ....teneantur, & debeant ſolemnia Miſſarum devote facere celebrare, & ornare, & cooperire contratam prædictam ad reverentiam MM.prædictorum ad Miſſam majorem. Ad hujus feſtum de mane Dominus Capitaneus, & Priores una cum Judice dicti Capitanei proceſſionaliter cum Clero, Religioſis, Societatibus, & Populo, & præfatis Rectoribus accedere, & offerre debeant ſecundum conſuetudinem, & ordinamenta præfatæ Fraternitatis; & quod dicta die tantùm præfati Rectores una cum ſuis Miniſtris, tam in Palatio, quam extra, præcedant Dominos Collegas &c.*

,, Prædicta omnia hodie etiam ſunt in uſu; & ,, Rectores præfati, qui octo ſunt Viri Nobiles ,, in Urbanis Comitiis Civium Nobiliorum ſuf- ,, fragiis delecti, quique quadrimeſtri præfectu- ,, ra res Fraternitatis ſanctiſſime adminiſtrant, ,, quotannis ſeligunt totidem ex omni Nobili- ,, tate Pueros, qui in prædicto Feſto manu ,, geſtantes venuſta bacilla, excubias agunt ad Sa- ,, crum Argenteum loculum, in quo SS. Puero- ,, rum MM. corpora ſervantur, eumque ambi- ,, unt, dum ſolemniter ab Eccleſia Cathedrali

,, ad

„ ad locum Martyrii deferuntur Sacræ Reli-
„ quiæ, indeque in ſero ad præfatam Eccleſiam
„ Matrem, ubi in Confeſſione Majoris Aræ
„ perpetuo conditæ aſſervantur, rurſus grandi
„ pompa referuntur.

„ Una ex Portis Civitatis, qua Florentiam
„ itur, ab ipſis Sanctis Fratribus nomen duxit,
„ cum toto ſuo Vico; nec non Xenodochium
„ ad peregrinas fœminas excipiendas. Item ſa-
„ cræ ipſis complures Eccleſiæ, & Beneficia ſi-
„ ve Cappellæ in Civitate, frequentesq: eorum
„ Imagines in publicis parietibus, & tabulis.
„ In Diœceſi vero ſunt etiam EccleſiæParochia-
„ les ab eorum nomine nuncupatæ, eorumque
„ diem Feſtum ſingulis annis ſolemniter cele-
„ brantes, & præcipue in Caſtro vetuſtiſſimo,
„ quod *Pergine* nomen habet. Noviſſime de-
„ mum SS.Dominus noſter BENEDICTVS XIV.
„ Plenariam peccatorum Indulgentiam ad Se-
„ ptennium conceſſit, Cathedralem Arretinam
„ in præfatorum Martyrum Feſtivitate, poſt ſa-
„ cram Synaxim rite receptam, devote viſitan-
„ tibus, prout ex Brevi apparet *ſub datum Ro-*
„ *mæ apud S.Mariam Majorem die* 10.*Maji* 1752.

Hæc, & alia nonnulla, religioſæ pietatis ſtu-
dio permotus Illuſtriſſimus Præſul Romam tranſ-
miſit, ſuique, & publici voti factus eſt com-
pos. Hæc item ſatis eſſe confido, ut cuique
apertum ſit; quanto jure SS. Laurentinus, &

Pergentinus ad nos pertineant. Quod tamen P. Abbas ipſe Trombellus in ſua Diſſertatione non denegat. Denegant tamen Incolæ Caſtri *Pergine* nuncupati, ſuoſque conterraneos SS. Martyres jactitant, nulla alia auctoritate fulti, quam Pergentini nomine, quod a Pergine derivatum autumant. Mirum, (ſi hujuſmodi argumentum valeat), quod finitimi noſtri, qui Marcianum Caſtellum incolunt, Civem ſuum non prædicent Marcianum Imperatorem Sanctæ Pulcheriæ Auguſtæ Auguſtum Sanctumque Virum. Quiſnam ejuſmodi ratiocinatores non videat? Verum id genus ſomnia confutare dormitantis eſto.

## §. XVI.

### *De S. Amſabno, ſeu melius Anſano M.*

POſt duodecim cum S. Donato invocatos Martyres Arretinos, exorantur in Litaniis Trombellanis SS. Coſmas & Damianus, cum Caſſiano, Calixto, Projecto, atque Vincentio; de quibus ſingulis P. ipſe Abbas diſertiſſimus conſulatur; ad nos enim, quod ſciam, certe non pertinent jure proprio. Sed qui ſequitur *Amſabnus*, corrupte *pro Anſano*, aliquantiſper nos detineat, oportet. Quamquam cæteroqui qui nobis prorſus auferre eum velit, arbitror eſſe neminem: Nos enim ſacrum ejus caput colimus in Eccleſia Cathedrali; & quum ex publico Urbis noſtræ voto ab anno uſque 1479. ſolemnis ſup-

ſupplicatio decreta ſit ſingulis annis die *Dominica*, quæ dicitur *in Albis Arch. Civit. lib.N. p.* 14. *&* 47. ſacrum idem caput ea occaſione per Civitatem circumvectatur. Calendis vero Decembribus proprio Officio ubique locorum Diœceſis feſtam ejus memoriam veneramur. Glorioſus hic Martyr, bona cum venia eruditiſſimi Patris Trombelli, non quidem Senis, ſed prope Senas ad Arbiam flumen intra Arretinæ Diœceſis fines paſſus traditur; ubi & hodie Eccleſia celebris eſt ejuſdem antiquo ſepulcro; pro qua, aliiſque ſeptendecim in agro Senenſi poſitis Plebibus heù quoties, & quam acriter Arretini, & Senenſes Epiſcopi coram Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus altercati ſunt! Ex Archivo Cathedralis Arretinæ habemus *ſub num.* 3. de iis litigatum fuiſſe circa annum 660. Ab Servando Epiſcopo Arretino contra Maurum Senenſem. Item ſub anno 715. ab Lupertiano Arretino, & Adeodato Senenſi bis terque decertatum, præcipuè coram Teudaldo Veſolanæ, Maximo Piſanæ, Spetioſo Florentinæ, atque Taleſperiano Lucenſis Eccleſiæ Epiſcopis. Item coram Luitprando Langobardorum Rege. Rurſus vero coram Stephano PP. II., qui III. dicitur, anno 752 Stabilis Arretinus Antiſtes, & Senenſis Ansfredus cauſſam quiſque ſuam dixiſſe noſcuntur. Apparet autem in omnibus hiſce judiciis Senenſes cauſſa cecidiſſe. Hinc anno 801. Carolus

lus Magnus, uti conſtat ex ejus Archetypo privilegio. Romæ dato anno 33. & 28. Regni ejus, per Geneſium ad vicem Ercambaldi *Archiv. Cathed. Arret. num.* 7. „ Ad preces Ariberti S. Arre-
„ tinæ Epiſcopi eidem Eccleſiæ confirmat, (ju-
„ xta judicatum Leonis PP. III.), *Monaſterium*
„ *S. Amſani, ubi ipſe corpore requieſcit*; quod
„ quidem Monaſterium occupatum ab Hrot-
„ berto quondam Epiſcopo Senenſi, Andreas
„ pariter Senenſis Epiſcopus adhuc tunc deti-
„ nebat &c. „ Hlotarius item I. anno 833. inſtante Petro Arretino Epiſcopo, confirmat ejus Eccleſiæ *Monaſterium S. Anſani, ubi ipſe in Corpore requieſcit Archiv. Capit. Arret. num.* 12. Denuo litigatum eſt anno 1029. ab Theodaldo Arret. & Leone Senenſi Epiſcopis coram Be-
„ nedicto Epiſcopo Portuenſi, & Romanæ Ec-
„ cleſiæ Apocriſario, Petroque Epiſcopo Ca-
„ ſtri Felicitatis, & Gonfredo Volaterrenſi ex
„ juſſione Johannis PP. XIX. *Ibi n.* 94. Iterum Anno 1057. coram Victore PP. II. ab Arnaldo Arret. contra Johannem Senenſem Antiſtitem dicta cauſa eſt, & licet anno inſequenti 1058. idem Johannes Senenſis in Concilio Romano, ſub Nicolao PP. II., cauſſam contra Arnaldum Arretinum obtinuerit *ibid. n.* 178. „ Judicium
„ tamen hujuſmodi anno deinde 1070. Alexan-
„ der PP. II. revocavit, Prædeceſſorum ſuo-
„ rum Leonis, Stephani, Paſchalis, Adriani,
„ Vi-

„ Victoris , Stephani item II. veſtigia ſecutus .
„ *ibid. n.* 226.

At omnium venuſtiſſima Bulla eſt Honorii PP. II. „ Datum Laterani per manum Ailmerici „ Diaconi Cardinalis & Cancellarii „ 3. *Non. Maji* ; *Ind.* 3. , *A. D.* 1125. *ibid. n.* 391. , ubi & ſingula memorantur , quæ hactenus ſignificata ſunt , & alia etiam , quæ ab Guidone Epiſcopo Arretino contra Gaufredum Senenſem coram ſummo eodem Pontifice paulo ante acta erant , & præcipue , quod „ eas Eccleſias S. Do- „ natus jamdiù ſuis prædicationibus Chriſto ad- „ quiſiviſſet , Senenſeſque deinde antiquitus oc- „ cupaviſſent , occaſione necis Godeberto Ju- „ dici ab Arretinis illatæ &c. „ quibus ſingulis probatis , Summus Pontifex ſententiam *Ferrucii Primicerii Judicum Sacri Lateranenſis Palatii* ratam habens , ſancit omnia ab Gaufredo occupata eſſe Guidoni reſtituenda .

Nihilo tamen minus iterum acerrime Heliotto Epiſcopo Arretino circa annum 1170 decertandum fuit contra Gunteramum Senenſem coram Magiſtro Laborante Cardinali S. Mariae in Porticù , Alexandri PP. III. in Tuſcia legato . Nonaginta duo Teſtes primùm , deinde duo & quadraginta appellati ſunt *apud Domum S. Donati* , nimirum apud Cathedralem extra muros Arretii : Tum & alii tres : rurſus apud S. Quiricum in Oſenna quatuordecim ; deinde duo & vi-

ginti

ginti ſua teſtimonia protulerunt Senis in Epiſcopali Palatio. Hæc autem omnia, & ſingula in ſæpe laudato Archivo Cathedralis Arretinae *numero* 435. in Libellis Membraneis bene grandibus ſervata, digniſſima ſunt, quae aliquando proferantur iu lucem, poſtquam tamdiu, quo fato neſcio, ibidem delituerunt: Audire ibi etenim eſt homines de rebus ævi ſui longiſſimo annorum intervallo a nobis ſejuncti loquentes, tamquam ab Inferis excitatos. Verum pretioſis quibuſque theſauris ſemper contigit, ut oculis hominum minus obverſentur.

Sed quoniam in Bulla Honorii PP. II. nonnihil indicatur, ( ut ſupra vidimus ) de nece Godoberti Judicis; non ingratum fore legentibus puto, licèt res a propoſito aliquantulum divagetur, quomodo ſe id habuerit paucis educere, ex Monumentis, quæ apud Canonicos Arret. ſervantur *Arch. prædic. num.* 3. *cap.* 10. Ibi igitur ſeries quædam habetur antiquiſſima Regum Italicorum ab Alboino ducens initium: *Qui invitatus*, ( ut ibi dicitur, ) *a Narſo Patricio Italicorum, volentium a ſe jugum Græcorum excutere, de Pannonia per Aquileias fauces in Italiam Langobardos adduxit*. Membrana manù Gezonis, quem ſupra memoravi §. 10., exarata eſt ſæculo XI., juſſu Gerardi Primicerii Arretini qui ex chartis, jam tum vetuſtate fere conſumptis, in ea contenta religioſe eruiſſe jurejurando fatetur. Hæc autem ea habet inter alia multa. *Su-*

*Lupertianus Aretinenſis Epiſcopus cum ſuis Domeſticis habitabat apud Plebem S. Mariae in Pacina, exercens ea, quæ ad Epiſcopum pertinent in ſua Diœceſi. Eoque tempore* ( anno ſcilicet 711, ut patet ibi infra ) *Senenſis Civitas erat Domnicata ad manus Ariberti Regis; habitabatque in ea Judex Regis Ariberti, nomine Gudipertus; qui veniens ſimul cum Taiberto Caſtaldio Regis ad Plebem de Pacina, ubi erat Lupertianus Epiſcopus, nullam ei exhibens reverentiam, cœpit homines ipſius injurioſe diſtringere & per Placita faticare. Quod ægrè ferentes Aretini, qui cum Epiſcopo erant, Godibertum judicem occiderunt. Unde Populus Senenſis commotus inde fugavit Lupertianum Epiſcopum, juſſuſque eſt Adeodatus Senenſis Epiſcopus, conſobrinus prædicti Godoberti Judicis, illam Parochiam tenere, ut volens nolens per annum coactus eſt facere. Mortuo vero praedicto Ariperto Rege anno 712. Anſiprandus Rex conſtitutus regnavit menſes tres; cui ſucceſſit Luiprandus filius, qui regnavit annos triginta & uno &c. Obiit autem Luiprandus anno 747. Aſtulfus regnavit annos octo. Deſiderius cum Adelchis filio ſuo annos 17. Tunc vero Karolus Rex Francorum, ejectis Langobardis, factus eſt Imperator per Leonem PP. &c.* Hæc Antiquarum rerum ſtudioſis dicta ſint.

Ut vero ad S. Anſanum redeat ſermo noſter: Sciendum, eodem in Archivo *num. eodem 3., cap. autem 8.*, extare Exemplar authenticum Bullæ Ste-

Stephani II. cognomine III., ex qua apparet,
„ quod, Rege Liutprando vita functo, quum
„ ſub Rege Aſtulpho, Gauſpertus Caſtaldius
„ Senarum in Eccleſia S. Ampſani Aram con-
„ ſtruxiſſet; Ansfredus Epiſcopus Senenſis, ſi-
„ mulans ſibi ad Gauſperto vim illatam, S. Am-
„ pſani eo corpus tranſtulit, abſente, & inſcio
„ Stabili S. Aretinæ Eccleſiæ Antiſtite; qui ideo
„ apud Zachariam Romanum Pontificem de in-
„ juria conqueſtus eſt. Cujus metù perterritus
„ Ansfredus apud Aſtulſum Regem ſe recepit.
„ Sed cum Aſtulſus nollet ab Apoſtolico judicio
„ reum ſubtrahere, Ansfredus tandem, hor-
„ tantibus Thoma Voloterrenſi, Taciperto Ca-
„ ſtri Felicitatis, & Giſulſo Cluſino Epiſcopis,
„ confeſſus eſt, ſeſe violenter ad præfatam
„ Tranſlationem, & Dedicationem Altaris ab
„ Gauſperto Gaſtaldio fuiſſe coactum. Quibus
„ perpenſis, ſummus Pontifex pro Stabili Arre-
„ tino Antiſtite fert ſententiam „. Datum XIV.
Kal. Jun. Conſtantini Imperatoris anno 32., poſt
conſulatum ejus anno 12. Indict. V. *ſcilicet anno æræ Chriſt.* 752.

Sed jam diù multumque S. Anſanus nos detinuit. Hæc autem placuit delibare, quo quiſque intelligeret, quanto jure Arretina Eccleſia S. hunc Martyrem Faſtis ſuis adſcripſerit. Non ideo tamen eum Senenſibus aufert; modo ipſi non ita eum ſibi arrogent, ut a ſocietate nos exclu-

excludant : ſiquidem & Primitiva ejus Eccleſia adhuc hodie noſtri juris eſt : ubi adhuc Brachium ejus ſervari, mihi nuper venit ad aures in Eccleſia ſcilicet S. Anſani de Doſana & ſacrum ejus caput apud nos colitur in Cathedrali Arretina; quum è contrario Senenſes corpus ejus, quod olim Senas adſportarant, neſcio quo rerum infelici fato, jamdiù amiſerint, & ſolum cineres ejus ſervent hodie lacrymabile monumentum incendii, hinc ad nos anno 1583. confugere coacti fuerunt, ut ſacri Capitis particulam, ſingularis beneficii loco, impetrarent *Arch. Cath. Arret. lib.B. Inſtrum. pag. 8., & inter Epiſtol. filza 2. num. 61.* Jure ergo maximo S. Anſanus in Trombellanis Litaniis, ſub *Amſabni* nomine, ab Arretinis invocatus reperitur; tamquam Arretinæ Martyr Eccleſiæ, elto etiam Senenſis.

## ∮. XVII.

### *De SS. Auguſtino, & Marcellino MM. Arret.*

ANſano ſuccedunt in Litaniis Adrianus, & Jeminianus, de quibus alio loco pauca quædam attingenda ſunt, *nimirum* ∮. 20. Hos vero excipit *Auguſtinus*. Clariſſimo Trombello nova admodum accident, quæ modo ſum prolaturus. Non enim hìc locum habet præſtantiſſimus hujus nominis Catholicæ Eccleſiæ Doctor (quod tamen ipſe quandoque ſuſpicari videtur), ſed Martyrglorioſus ex noſtris; ideoque in Litanii

taniis inter Martyres merito recenſitus. At Auguſtinus, inquiet quiſpiam, non occurrit in lapide Cathedralis. Quid tum? Occurrit vero in Authographa Membrana apud Canonicos Arretinos *Arch. Cath. num.* 275. in ea ſiquidem „ *Anno* 1079. *Menſe Auguſto*, *Indict.* 2. „ Jocundus „ S. Aretinæ Sedis Archidiaconus, & Præpoſitus Canonicæ ejus, libellario nomine conce- „ dit Petro Presbitero, & filiis fratris ejus &c. „ qui Clerici fient, & ad honorem ſacerdotii „ venerint, integram Confeſſionem cum Alta- „ rio ibi conſecrato *ad honorem Dei, & BB.MM.* „ *Marcellini, & Auguſtini* in ſubterranea tum- „ ba Marianæ ſeù Stephanianæ Ædis (ſic enim appellabatur, ut ſupra dictum eſt §.2. & alibi) Eccleſia vetus Cathedralis, ſive *Domus*, extra Urbis muros „ cum onere tamen Donatariis im- „ poſito, ibidem officium & ſervitium facien- „ di: pro quo deinde recipere debeant medietatem oblationum, quæ ibi exhibentur om- „ nibus diebus Dominicis &c. atque *in ſolemni-* „ *tate prædictorum Martyrum Marcellini, & Au-* „ *guſtini &c. Act. Aritio &c.*

Qua vero die illa ſolemnitas ageretur apud veteres Arretinos noſtros, addiſcimus ex ſerie Indulgentiarum, ad quam alias confugimus, & præcipue §.10. In ea igitur ad Menſem Martium ſic legitur.

*Adì 27. dil detto. Il giorno di S. Marcellino & Socio-*

*Sociorum li corpi de' quali ſono in detta Chieſa* ( ſcilicet in *Domo* ſuburbana ) *a canto all' Altar grande in una caſſa dentro in una fineſtra ferrata, c' è di perdono* 140. *dì, e dura da un Veſpro all' altro; e biſogna eſſer confeſſo, e contrito*.

Ecce tibi non ſolum S. Auguſtini Martyris nomen, ſed Sancti etiam Marcellini; Ecce immo tibi Sacra ipſorum-met Corpora, ſignatuſque adamuſſim locus eorum veteris ſepulturæ. Hinc ſuſpicandum fortaſſe eſt, ne mendo laborent litaniæ, habeantque poſt Auguſtinum ( interjecto tamen Hermete & Marino ) *S. Marcellianum pro Marcellino*. Forte etiam inter Marcellianum, & Marcellinum diſcrimen nullum. An non vidimus ( præcedenti ∫. ) *Anſanum*, & *Ampſanum*, addo etiam *Amſabnum*? An non legimus in una eademque Membrana *Godobertum* prius, deinde *Gudipertum*; & alibi modo *Liuprandum*, modo vero *Liutprandum*, alias *Luitprandum* paſſim uſurpari, & indiſcriminatim? Si quis vero iis, quæ dixi, minus contentus, SS. Auguſtini, & Marcellini coloribus expreſſas imagines vetuſtiſſimas cupiat contemplari, Eccleſiam adeat S. Mariæ Plebis Cathedrali noſtræ perpetuo unitam, petatque, ut ſibi inſpiciendae proferantur Tabulæ illæ prægrandes ligneæ, quæ olim Aræ ibi maximæ faciem compoſuiſſe creduntur. In altera enim ex duabus minoribus picta videtur in ſuperiori parte effigies S. cujuſdam Diaconi cum epi-

epigraphe ſubtus: *S. Marcellinus Martyr*: Juxta hanc vero ad lævam effigies alia hominis magno natu, promiſſis capillis, barbaque in pectus propexa, & Monachali quadam veſte induti, cum ſcripto: *S. Auguſtinus Martyr*. Verum progrediamur: quod enim ad SS. Hermetem, & Marinum inter Auguſtinum noſtrum, & Marcellianum, ſive Marcellinum exoratos, nihil eſt, unde in ſpem erigar ullam, poſſe eos noſtris adſcribi, niſi forte aliquid ſuffragetur nobis quoad S. Marinum, quod non procul Arretio locus ſit montanus a S. hoc Martyre nomen mutuatus: Verum hujuſmodi argumenta minus movere legentium animos poſſe ultro profiteor.

## §. XVIII.

### *De SS. Nazario, & Timotheo, & SS. Quadraginta MM. Arretinis.*

SUperſunt modo in litaniis quinque & viginti invocationes SS. Martyrum præter IIII. Coronatos, & VII. Fratres; poſt quos SS. Pontifices, ac SS. Virgines exorantur. Ex numero autem Martyrum, qui adhuc reſtant, vix auſim alterum & alterum in jus Eccleſiæ noſtræ vindicare; nimirum S. dumtaxat Nazarium, Sanctumque Timotheum; & forte etiam, at non valde aſſeveranter, & affirmate, Sanctos Martyres illos, qui ſic notantur: *SS. XLta* quas quidem notas Pater Abbas Trombellus rite interpretatur *SS. Qua-*

*SS. Quadraginta*; numerus enim Romanus X. ante L.conlocatus efficit numerum Quadrageſimum, ut patet. Intelligas hic (non enim impedio) cum Viro illo doctiſſimo celeberrimos Martyres Sebaſtenſes;. At rerum noſtrarum amatores nonnihil illud movet, quod attuli ad calcem ℣. XI. ubi dictum eſt, una cum S. Donato alios etiam XL.diverſis peremptos fuiſſe ſuppliciis. S.vero Timotheum quovis pignore contendunt eſſe ſuum; inque rei argumentum ex Ædibus noſtræ Fraternitatis S. Mariæ de Miſericordia Tabulam proferunt affabre pictam anno 1593. opera & conſilio Petri Bonamici, ætatis ſuæ civis noſtri longe eruditiſſimi. Qua quidem in Tabula intra denſum agmen Arretinorum Martyrum duo excellunt Juvenes Diaconali veſte induti cum Epigraphe ſuis locis hujuſmodi. *S. Timotheus S. Nicoſtratus*. Mihi, ut verum fatear, de SS. his Martyribus, præter picturam Bonamici, nihil venit ad manus. Num ideo putandum ab ipſo fuiſſe ad arbitrium excogitatos? Inquies: An non arbitrario induxit ille inter SS. noſtros eadem in Tabula S. Plautillam, S. Domitillam, S. Flavium Clementem Arretinum, qui tamen Romani genere ſunt? Forte ſi adhuc viveret Bonamicus, rationem ſubjiceret, cur hujuſmodi Martyres opinatus ſit eſſe noſtros; Ego vero divinare nolo hominis cogitata, nec cauſam ipſius dicere, quà forte caderem. At de S. Nazario certiſſimum

habeo teſtimonium Arretinis noſtris ipſis fortaſſe novum, & inauditum, Angeli ſcilicet Perutii Sarſinatum Epiſcopi, qui Apoſtolico Gregorii XIII. mandato dum anno 1583. Arretinam Cathedralem noſtram inviſeret, hæc, quæ ſubdo, juſſit ſcribi in libro, cujus titulus *Viſita Apoſtolica* (*Arch. Epiſcop. Arret. tom.* 1. *pag.* 12.)

*Et cum viderit in Sacriſtia* (*loco detto la Torre*) *Mauſoleum quoddam lapideum, eo aperto, vidit in eo multa Oſſa, cum Tabula lapidea parvula marmorea cum litteris & Inſcriptione hujuſmodi:* S. NAZARIVS MARTYR, *quod inventum fuit caſualiter prope & extra Eccleſiam S. Stephani antiquitus, quæ, ut dicitur, recondita fuit a Lothario Imperatore, & in quà quondam reſidebat Epiſcopus, ſeù aderat Eccleſia Cathedralie. Et cum vidiſſet oſſa ipſa minus decenter eo loco aſſervari; ordinavit oſſa ipſa locari, & conſervari inter alias reliquias de quibus ſupra; eaque recondi in vaſe honorabiliori.* Hic vero opere pretium eſt videre iterum, quæ de veteri hac Cathedrali Eccleſia, S. Stephano dicata extra Urbis muros, dixi ſupra §.2. Quod enim hic aſſeritur de Lothario; gratis omnino aſſeritur. At Epiſcopus Sarſinas ea teſtatur, quæ ſibi ab Arretinis dicebantur. Majores autem noſtri, qui tum aderant, ideo forte putarunt ab Lothario Eccleſiam fuiſſe reconditam, quod in quodam monumento Archivi Canonicorum *num.*362. forte legerant, ut infra, ſcilicet: *Lotharius*

*tharius per Regnum tranſiens, venienſque Aritium, & orationis cauſa ad S. Donatum* (cujus nimirum corpus in Cathedrali Eccleſia S. Stephani extra Urbem tum temporis quieſcebat) *cum non ibi reperiſſet Canonicos. prout Pater ſuus Ludovicus praceperat, contra Epiſcopum Arretinum Petrum eſt indignatus quam plurimum, & iterum eum pramonuit, ut praceptis ſuis obediret. Ipſe autem Dei famulus Petrus obedivit &c.*

Membranam hanc, multa ſcitu digniſſima continentem, tamquam inſigne rerum vetuſtarum monumentum, edidit Antiquitatum ſcrutator optimus Ludovicus Antonius Muratorius, eamque ſic inſcripſit: *Enarratio rerum perversè geſtarum a cuſtodibus Eccleſiarum S. Stephani, & S. Donati*. Conſule *lib. 5. Antiq. Italic. pag.* 217. Hic vero inquam: Num Epiſcopus ille Petrus præcepto Cæſaris obediturus Eccleſiam condere coactus fuit? At ea jam aderat, ſiquidem ibi lego Lotharium adceſſiſſe orationis cauſa *ad S. Donatum*. Canonicos quidem Lotharius non invenit in ea; quos Petrus Epiſcopus ſtatim ſtuduit congregare; ut patet ex ejus Archetypo Privilegio *Arch. Cath. Arret. num.* 13. hujuſmodi habente principium: *Petrus Servus Servorum Domini S. Aritina Eccleſia humilis exiguus Epiſcopus*. Datum Anno 843. Aſſerit ibi Epiſcopus ſe, *juxta preceptum Lotharii Imperatoris, Canonicam in ſua Eccleſia conſtruxiſſe*; ideoque Canonicis & Sacerdo-

cerdotibus, qui ibi conſiſtunt, vineam quamdam largitur, dictam *ad Pinum* juxta ipſam Canonicam; inſuper & *manuales quatuor Perſonas ad ſerviendum*, ſcilicet *Piſtorem*, *Coquum*, *Lavandarium*, *& Biſulcum &c.* Quapropter eodem anno idem Lotharius *Fratribus his Canonicis, quos Petrus Arecienſis Urbis Epiſcopus ad habitandum coegerat, villam quamdam donat, vocabulo Caminina, quæ conſiſtit in Caſtro Felicitatis &c.* leguntur iſta omnia in ejus diplomate item Archetypo *Arch. id. num.* 14.

Verum hæc iſto loco minus ad rem: ad propoſitum itaque regrediamur. Jure ergo ab Aretinis exorabatur in Litaniis S. Nazarius, cujus corpus venerabantur. Quæ vero (malum!) incuria noſtrorum eſt, ut Sancti hujus Martyris corpus quanam arca, ex tot, quas habemus, reconditum ſit, non aliquando ſcrutentur. Num dubitent, detectum adorare poſt teſtimonium Epiſcopi Sarſinatis? Condant illud, juxta præceptum, vaſe honorabiliori; & deinde ſine ſcrupulo colendum publicè exhibeant. Quod ſi tandem aliquando eo deveniant, ut deliberent arcas ſingulas, atque adeo ſepulcrum ipſum S. Sathiri, in Cathedrali, aperire, fore non dubito, ut plurima SS. noſtris MM. dilucida fiant, noſque ex ſuperiorum temporum quaſi caligine eruti, rerum noſtrarum lucem aliquam diſpiciamus. Utinam Deus, me vivente, faxit. Sed ad reliqua gradus tandem fiat. §.XIX.

## §. XIX.

*De SS. VV. & MM. Flora, & Lucilla.*

SEx tantum SS. Pontificum aut Confeſſorum nomina offenduntur in Litaniis Trombellanis, nimirum S. Benedictus, S. Martinus, S. Bricius, quem Epiſcopum fuiſſe, & B. Martini diſcipulum patet ex Martyrologio Romano ſub die Novembr. 13.; item S. Leo, S. Silveſter, S. Gregorius. Ex his S. Leonem ideo Eccleſiæ noſtræ non auſim adſcribere, quod medium inter duos non Martyres hic reperio; cæterum in lapide Cathedralis decimo loco S. Leo Martyr occurrit (vide ſupra §. 7.) Quod vero pertinet ad SS. Virgines, ex quarum numero ſexdecim inibi exorantur, duas tantum hodie Arretina Eccleſia ſolemniter veneratur Floram ſcilicet, & Lucillam.

De his autem tam multa nobis dicenda ſuppeditant Bollandiani Socii, ut ſi ſingula referam, merito dubitem, ne nimius legentibus ſim. Quum vero ſcriptores illi nedum ipſarum acta, verum etiam nomina revocare in diſcrimen videantur, fruſtra forſan Eruditis, & nimium delicatis loquerer, ideoque libenter abſtineo. Hoc tamen certum, SS. Floræ, & Lucillæ, Sanctique Regis Eugegii, ſive dicere malis Eugenii, ab antiquiſſimis temporibus Arretii in celeberrimo Monachorum Caſinenſium Monaſtero Cor-

pora quieſcere, cui ſuum ipſum nomen SS. Virgines attribuunt; earumque memoriam non a Monachis tantùm, ſed ab Clero univerſo Civitatis, & Diœceſis quotannis die 29. Menſis Quintilis ſolemniter haberi; Sequenti vero die etiam S. Eugenii, ſed dumtaxat a Monachis. In Tabulario eorumdem Monachorum *Capſa H. num.* 15. Membrana archetypa offenditur, hujuſmodi.

*In Nomine &c. Anni Incarnationis ejus, an.* 903. *Cal. Madii, Indic. 6. feliciter. Et ideo ego Liutardo Monachus, filio quondam bona memoria Uſprand. qualiter per hanc judicato trado, & judico tibi Ecclefia S. Flore, ubi corpus tuus humatum requieſcit &c. Actum Aritio ad ipſa Eccleſia S. Flore.*

Audin Floram? Audias modo & Lucillam, *ex eadem Capſa H. num.* 12.

*In nomine &c. Ego Venerandus filius bon mem. Bonani judico, & trado, adque confirmo in Eccleſia, & Monaſterio BB. VV. Flore, & Lucille, ubi pro Dei amore comam deponere, & veſtimenta Monachorum recepi, ubi etiam promiſſionem factam ſecundum regulam firmiter tenere deſidero &c. omnes caſas, & res &c. quas habeo iu comitato Aritino, & infra civitatem Aritinam tam infra, quam extram, tam prope, quam longe cum Curte mea domnicata, qui eſt infra ſupra ſcripta Civitate Aritina, quod eſt de Porta S. Andree; tamen decernimus de una parte Eccleſia S. Agnes, de alia S. Laurentii, de tertia &c. Actum Aritio &c. Menſe Octubri in*

*Dic.*

*Dic.* 9. *Anno* 1025. Audias denique cnm Flora ſimul, & Lucilla etiam S. Martyrem Eugejum, ſeu mavis dicere Eugegium, ſeu melius etiam Eugenium, ex eodem Promptuario Monachorum *Capſ. B. num.* 1. Ibi.

*In Dei nomine Anno Domin. Inc.* 1031. *, anno autem Imperii Domni Cunradi Romanorum Imperatoris Auguſtus* . 4. *Menſe Madio, Indic.* 14. *Manifeſtus ſum ego Domno & Venerabilis Teodaldus Epiſcopus Sancte Dei Aretine Eccleſie Epiſcopio S. Donati, qualiter per hanc Chartam Iudicati volo, & judico pro Mercede anime mee, & anime Anticeſſorum, & Succeſſorum noſtrorum Epiſcoporum, & pro anime Ugonis Filius quondam Ugonis, & Ermingarde ambo jugalium in Eccleſia, & Monaſterio BB. Flore, & Lucille, & B. Eugeii Martiris totam, & integram omnem terram &c.*

Monaſterium autem hujuſmodi non quidem intra Civitatem, ut hodie, ſed in colle quodam ex adverſo Civitatis ad meridiem ſitum jam fuit, prope locum, qui dicebatur *Turrita*, ubi adhuc exiſtebat anno circiter 1173. Abbatemque habebat nomine Rodulphum, quod addiſcimus ex examine teſtium apud Cardinalem Laborantem *Arch. Cath. Arret. num.* 435., quod examen obiter attigimus ſupra *§.* 16. In eo igitur examine Teſtis decimus ſeptimus ex duobus & quadraginta appellatis ad Domum S. Donati extra muros, nomine Ugicio, filius Alberti de

S. Flora teſtatur, ut infra, ſcilicet „ ſe, cum
„ annos natus eſſet quatuordecim, vidiſſe Gui-
„ donem, cognomento *Boccatorta*, (ex Camal-
„ dulenſi Eremita Epiſcopum Arretinum) in
„ Caſtro S. Floræ monentem Rodulſum Abba-
„ tem illius Monaſterii, ut ſecum iret Romam
„ ad cauſam dicendam coram Summo Pontifice
„ contra Epiſcopum Senenſem ſuper Eccleſiis
„ de Aſſianinga (nempe S. Anſani, & reliquis,
„ de quibus ſupra dictum eſt §. 16.); teſtatur
„ item, ſe vidiſſe deinde alia die Epiſcopum
„ venientem per viam, quæ ducit ab Arecio
„ ſub Caſtro S. Floræ; Abbatemque ſtatim de-
„ ſcendiſſe a S. Flora, & Romam, multis co-
„ mitantibus iviſſe cum Epiſcopo.

Sed digredi parumper ne pigeat à cauſſà, Romamque & nos Guidonem hunc Epiſcopum ſanctiſſimum comitari: ſive potius audire ne tædeat Aldibrandinum de Civitella teſtem tertium decimum, ibi hæc aſſerentem.

*Decennis eram, & audivi a Patre meo Ranutio Civitellæ indigena, quod ipſe audiverat Epiſcopum Guidonem in Civitella, quando reverſus fuerat Roma cum victoria, hæc narrantem. Nimirum, ſe cum Romæ eſſet, Senenſi Epiſcopo, dum lis penderet, dixiſſe: Apprendamus nos manū ad manum ego, & tu; & præcipitemus nos ambo in Tiberim; & illa Eccleſia ſive Aretina, ſive Senenſis, cujus Epiſcopus fuerit in Tiberi enecatus, cauſam amittat.*

*rat. Cui Senenſis Epiſcopus reſpondit: Nolo ſic mori. Rurſus ad eum Guido: Celebremus ambo jejunium in Cilicio, ſicut decet; & deinde eamus ambo ad Eccleſiam S. Salvatoris Lateranenſis, ubi clauſæ ſint Portæ; & cui noſtrum petenti, & oranti deinde apertæ fuerint, ille ſit victor in cauſa. Et hoc autem Epiſcopus Senenſis facere recuſavit.* Alii autem Teſtes affirmant, quod antequam Epiſcopus idem Guido, *Romæ cauſam viciſſet; quadam die in pede Scalæ Lateranenſis Palacii acceſſit ad eum quidam pulcher Clericus toto capite reſperſus albicantibus canis & ait: Epiſcope Aretine quid feciſti de tua cauſa? Tum vero Epiſcopus: Quid facere poſſum? Injurioſe tractor in hac Curia; & totum meum jam expendi; quid faciam, neſcio. Tum Senex reſpondit: Mitte ad montem Syratti pro Regiſtro PP. Alexandri, in quo eſt definitiva ſententia ſuper controverſia &c. Abeunte autem tum Sene, miſit pro eo Aretinus Epiſcopus, ut melius interrogaretur; cumque inventus non fuerit, creditus eſt fuiſſe S. Donatus. Epiſcopus Guido rogavit tunc Gualfredum del. Papa, habitantem in Caprallica prope Sutrium, ut regiſtrum præfatum ſibi mitteret, quo miſſo, & aperto, ſtatim occurrit præfata ſententia, ſecundum quam Aretinus Epiſcopus victoriam retulit.*

Aliorum complurium Teſtium ferè id genus ſunt teſtimonia, ſingula, meo quidem judicio digniſſima, quæ aliquando lucem publicam adſpiciant.

ſpiciant. Sed ſatis hac ſuper re. Quoad vero SS. Virgines Floram, & Lucillam, atque Eugenium Regem, vide rurſus quæ dixi, ubi de S. Hilariano §. 8. & 9.

## §. XX.

*De nonnullis aliis SS. Peregrinis quidem, ſed aliqua ratione ad Arretinam Eccleſiam ſpectantibus, ideoque forſan in Litaniis exoratos.*

POſt viginti, & eo amplius SS. Martyres Arretinos, aliquam modo conabor rationem ſubjicere, quare & alii viginti invocarentur a majoribus noſtris adſcititii; quos inter Adrianus, Geminianus, Juſtinus, & reliqui, quos in Litaniis ſtellula ſignatos volui. Trium horum itaque noſtris adhuc hiſce temporibus ſuperſtites extant Eccleſiæ vetuſtiſſimæ in Civitate Parochiales, quarum quæ a S. Geminiano appellatur, Epiſcopus noſter Gregorius anno 1206. nonis Martii dedicavit, ut nuper novimus ex quadam parva membrana inter rudera majoris Aræ reperta intra thecam ex argilla, una cum Reliquiis ipſius SS. Geminiani, & Luciæ, nec non alterius Luciæ Virginis, & aliorum, qui ſingillatim ibi nominantur. Quum autem hic videas Lucias duas; quumque in facie ipſius Altaris, cum imagine S. Geminiani militem repræſentante, appareat a læva, eodemque in pariete vetuſto expreſſa penicillo Matrona quædam magno natu;

natu; non erit ultra Reverendiſs. Abbati Trombello ambigendum, de eo Martyre Geminiano in Litaniis noſtris memoriam agi, de quo meminit Catholica Eccleſia die Septembr. 16., ſimul cum Lucia Vidua Romana; tantoque certius id eſt, quod die eorum feſto in veteri Cathedrali indulgebatur, eam inviſentibus, ut conſtat ex ſerie Indulgentiarum, quam ſæpius memoravi: Ibi ad Menſem Septembris: *Adì 16. del detto, il dì di S. Lucia, e Geminiano c' è di perdono 120. dì*. Cave tamen, tibi in mentem veniat ſuſpicari, Eccleſiam hanc S. Geminiani Arretii fuiſſe conditam circa annum 1206., quo fuit ab Epiſcopo dedicata. Multo enim eſt longe vetuſtior. Eam extaſſe anno etiam 1030. apparet ex Tabulario Monaſterii S. Floræ *Caps S. num.* 48. Ibi: *In Dei Nomine Anno Domini Inc.* 1030. *Regnante Chunrado feliciſſimo Rege &c. 6. Kal. Octub. Ind.* 13. *manifeſtus ſum ego Rodulfus Abbas &c. In primis ad proprium in commutationem dedi tibi Gerardo filio Cunixonis integre tres petie de terra; & ſunt prope Civitatem Aretinam. Prima ex ipſe eſt poſita in loco, & a vocabulo* Al Pino; *occurrit ei fluvius qui dicitur* Caſtro. *Alia in loco, & a vocabulo que fuit Eccleſia* S.Gaudenti. *Ex uno latere eſt ei terra S. Donati; ex alio occurrit ei ſupraſcripto fluvio &c. Similiter tradidi &c. & eſt poſita &c. prope* Eccleſiam S. Geminiani. *Ex uno latere eſt ei Terra Rachinerii, qui fuit Marchio, que eſt*
de

*de pertinentia* S. Geminiani. *Actum in Comitatu Aret. &c.*

De S. Adriano mentio item fit in eodem Archivo S. Floræ *cap. H. num.* 25. ubi Inſtrumentum adeſt confectum anno 1084., quod ne longus ſim omitto; explicit autem ſic. *Actum in ſuburbio Civitatis Aritinae prope Eccleſiam B. Adriani Martyris feliciter*. Eccleſiam vero S. Juſtini, licet certus ſim, me iterum, iterumque legiſſe in monumentis vetuſtioris ævi; tamen cum loca minime notaverim in Adverſariis meis, memoria ipſa exciderunt; ſolumque ad manus habeo notiones nonnullas, ad ſæculum quartum decimum ſpectantes, in quibus ejus Eccleſiæ fit mentio: Sed quum hujuſmodi momumenta afferenda ſint, cum de Sancta Virgine noſtra Juſtina inferius agetur *§*. 26. hic ſatius duco prætermittenda, ne jam dicta, iterum recinantur. Progredior autem alia dicturus.

Notatos vides in litaniis Hyppolitum & Caſſianum. Ego vero in litaniis fuiſſe ab Veteribus Arretinis idcirco invocatos arbitror, quod ſingulari aliquo cultu fuerint antiquitus apud nos dignati. In antiquiſſima Parochiali Eccleſia S. Nicolai Arretii aderant paucis ab hinc annis, a dextra, & læva majoris Aræ parte, vetuſtæ SS. horum MM. Imagines bene grandes, in pariete depictæ: Adſunt & hodie recentiores, cura ſcribentis innovatæ, qui ejuſdem Eccleſiæ Sacer-

Sacerdotium curat. Ad hanc S. Nicolai Eccleſiam, antequam ſpectatiſſimi PP. Societatis Jeſu in Urbem noſtram advenißent, curamque ſuſcepiſſent ſcholarum, Adoleſcentes litterarum ſtudiis addicti conveniebant, Feſtumque diem S. ejuſdem Nicolai ſolemni pompa celebrabant; Diſcipulorumque omnium diligentiſſimum ea die Principem ſalutabant, & Accademiæ obſcurorum anteſignanum, vulgo il *Signore di S. Niccolò*: & inde factum puto, ut ibidem venerarentur etiam S. Caſſianum, de quo memoriæ proditum eſt, puerorum quos erudiebat, ſtylis fuiſſe terebratum. De vetuſtate tamen hujus Eccleſiæ S. Nicolai, fateor, nullum hactenus antiquius monumentum veniſſe ad manus, quam actum quemdam obedientiæ, præſtitæ a S. Nicolai Rectore, anno 1251. Arretino Præpoſito: *Archiv. Canonicor. num.* 620. *capite* 28., ac deinceps inſtrumentum quoddam in eodem Archivo Cathedralis exiſtens *ſub num.* 516. *Actum in Civitate Aretii apud Eccleſiam S. Nicolai anno* 1277. Sancti etiam Appollinaris Ædem in Arretina Civitate antiquitus fuiſſe, conſtat ex monumentis complurimis, quorum teſtimonia brevitatis gratia non profero *Archiv. eodem, num.* 620. *cap.* 104. *ſub anno* 1273. Non poſſum tamen de uno quodam reticere, recenti quidem, ſed venuſtiſſimo *Archiv. Canonic. num.* 889. Actum fuiſſe Aretii illud dicitur

*ante*

*ante Eccleſiam S. Apollinaris in Porta Crucifera die* 28. *Novembris Indict.* 4. *anno* 1381., ex eoque apparet Gorinum quemdam de Bonuccis mutuatum fuiſſe ab Antonio de Albergottis Florenos 300. pro ſua met redemptione a captivitate, in qua detinebatur a Graſſello de Faventia uno, ut ibi dicitur, ex Caporalibus Brigatæ S. Georgii &c.

Item aderat Arretii adhuc anno 1146. *Eccleſia S. Gregorii* ( *idem Arch. num.* 419. & 512. & 1056. ) conſtatque eam poſitam fuiſſe in *Porta Fori*, & quod ibi, in Cappella ipſius S. Gregorii, jus dicere ſoleret Vicarius Epiſcopi.

Aderat adhuc anno 1201. Eccleſia, & Monaſterium S. Clementis, a quo modo appellatur altera ex Portis Civitatis *ibidem num.* 419. Aderat & S. Martini Eccleſia *patet ex eodem Archivo num.* 61. & 849., unde inter alia addiſcimus, quod anno 1020. Ingizo Præpoſitus Sancti Donati, & Boſo Primicerius tradunt Leoni Clerico bona quædam, cum onere ſolvendi quotannis ſummam certam in *Miſſa S. Martini*.

At vero S. Benedicto, qui una cum ſupra allegatis SS. exorabatur in litaniis, non Eccleſia ſolum, verum etiam Monaſterium ab octavo uſque ſæculo Arretii dicatum fuit ab Cunemundo Epiſcopo, cujus meminimus §. 6. Apparet ex quodam præclaro, & Archetypo Diplomate Caroli Magni *Wrmaſiæ Dato* 7. *Idus Octobris*

*anno*

*anno 16., & 10. Regni ejus, per Ercambaldum ad vicem Radonis, anno ſcilicet* 783. In eo igitur
„ Carolus Francorum, & Langobardorum Rex
„ Ariberto S. Aretinenſis Eccleſiæ Epiſcopo in
„ honorem B. Donati conſtructæ pro reveren-
„ tia ipſius S. Loci bona multa confirmat, &
„ præcipue Monaſterium *S. Benedicti infra*
„ *ipſa Civitate Aretina a Cunemundo Epiſcopo Aretino jam fundatum* Diploma longe venuſtiſſimum, ad cujus calcem adeſt ſigillum in cera rubra effigiem ipſius Caroli ad vivum repræſentans cum litteris XPE PROTEGE CAROLUM REGE FRANCORUM: Extat adhuc integrum, & illibatum in Promptuario Canonic. Arret. ſub num. 6. Cave, ne ideo tibi in mentem veniat, Monaſterium hoc S. Benedicti nuncupatum, illud ipſum eſſe, quod adhuc extat Arretii, & in quo hodie degunt Moniales Congreg. Camald. jam enim dirutum illud vetus erat anno 876., ut conſtat ex diplomate Caroli Calvi, quod ex præfato Archivo *ſub num.* 21. hic libet ſubjicere.

*In nomine &c. Karolus &c. Ad hoc &c. Ideoque comperiat &c. dum Romam a ſummo Pontifice Johanne vocati proficiſceremur, nos Aretium deveniſſe, & cur intra mœnia Civitatis, more cæterarum Domus Dei Sede pollens Antiſtitis non emineret perſpicacius inquiſiſſe. Et quamvis B. Donati Glorioſi reſponderetur, & videretur in hoc ſpecialiter locus electus, quod monimentis omnibus ejuſdem Eccle-*

*ſiæ*

*ſiæ pariter adſtipulatur, eligantius tamen nobis viſum eſt, ut Aretium intra muros Eccleſiæ culmine fulgeat, clauſtrali munitione Clericos contineat, & decentibus habitationibus ſeſe diſtinguat. Ad quod opus, concedimus S. Donato, ejuſque Rectori venerabili Johanni, & ejus ſucceſſoribus Forum, quod muro adjacet intra terminos; ex uno latere Domus, quæ dicitur Orrea; ex altera Eccleſia quondam B. Benedicti* (Cur quondam? niſi quia tum temporis non amplius extaret?) *A tertio vero latere eſt murus Civitatis, a quarto latere eſt terra S. Petri, & via publica, ut Epiſcopo in ſua Sede apud S. Donatum remanente; ibi nihilominus per ejus ordinationem Divinæ Laudis Canonicæ fiant Concelebrationes, ubi hactenus Mallationum ventilatæ ſunt lites. Sancimus autem &c. Dat. Kal. Martii Anno 36. regnante Karolo Imperatore in Francia, & Imperii ejus anno I. Actum Vercellis &c. Q.*

Eruditis dubium eſſe non poteſt tribuendum eſſe huic Diplomati annum ab Incarnat. Dominica 876. Vide rurſus quæ indicata ſunt §. 2., & 5. circa Eccleſiam Cathedralem Arretinam; quæ quidem, nulla habita ratione hujuſce Diplomatis, adhuc extitit extra muros per ſæcula complura, prout ex hactenus dictis ſæpe colligitur.

§. XXI.

## §. XXI.
### *Nonnulla de SS. Mulieribus quæ invocantur in Litaniis.*

QUamquam, præter Floram, & Lucillam, nullam exoratarum Sanctarum audeam Arretinæ huic Eccleſiæ adſcribere nec civico jure, nec peregrino; invocationis tamen nonnullarum ex ipſis cauſſas conabor divinare. Jam de Lucia Matrona Romana Sanctiſſima nonnihil attigimus, dum de S. Geminiano loqueremur *§. præcedenti*: quod vero attinet ad alterius Luciæ invocationem, Siracuſanæ nempe Virginis celeberrimæ, eam magno habitam in honore apud majores noſtros fuiſſe *Enarratio* ſatis demonſtrat *rerum quæ perverſe geſtæ ſunt in Eccleſiis S. Stephani, & S. Donati*; ex qua nonnulla decerpſimus ſupra §. 18. Ibi itaque enarrans Chronographus Cucii cujuſdam Eccleſiæ cuſtodis improba facta, poſt Tranſlationem Corporis S. Donati ab Vetere S. Stephani ad novam ipſius S. Donati magnificam Ædem ab Epiſcopo Theodaldo excitatam, *prout §. 1. leviter quidem, ſed tamen attigi* hæc habet: *Tunc quaſi pro cuſtodia omnes Servi, & Mercenarii prædicti Cucii altare circumdabant &c.* (*in quo nempe S. Donati Corpus exiſtebat*) *& ruſtici, & fœminæ ob devotionem ibi venientes deprædabantur; & volentes ſe adjuvare cædebantur, & quod nequius*

 *eſt,*

*eſt, vulnerabantur, & ſanguis ante altare effundebatur: Miniſtri vero Eccleſiæ circa Altare opponebant artificium lignorum cum firmiſtrabibus; ſed ſemper a raptoribus fuit exterminatum. Heu heu quanta mala non ſolum ante Altare; ſed per totam Eccleſiam, & per totum mercatum fuerunt tunc temporis perpetrata &c. Altaria demum quæ erant infra Eccleſiam ſupradictus Cucius quædam vendidit, & quædam donavit laicis; Altare ſcilicet S. Johannis Baptiſtæ dedit Brigulo Aquatico, & Ildibrandino Filio Petri; S. Petri Altare dedit Filiis Briki. Altare S. Luciæ dedit Gizoni Teuzorum, & Litanias de Gropina &c. Sed Canonici omnia cum pace habere volentes adquiſiverunt Altaria &c. a Nepotibus Briguli; & Ildebrandis pro ſua parte Altaris S. Johannis dederunt octo ſolidos. In Altare S. Luciæ, & Litanias Gropinæ dederunt Guinigildo quindecim ſolidos.*

Habebant ergo Majores noſtri in *Domo vetere* Aram S. V. & M. Luciæ nomini dedicatam, ad eamque oblationes ſuas deferre conſuerant quotannis Homines e Plebe Gropina, qui ad Matrem hanc Eccleſiam (qui eorum temporum mos fuit ſanctiſſimus) obſequii, & pietatis cauſa publice accedebant: Id enim arbitror ſignificari *per Litanias de Gropina*; ſiquidem in examine illo Teſtium, de quo ſupra meminimus *§. 16. fuſiuſque §. 19.* lego, complures ex illis teſtatos, ſe vidiſſe ſæpius *Litanias de Plebi-*

*bus*

*bus Aſſianinga in Agro Senenſi* venientes ad S. Donatum; inter quos *Ildibrandus Plebanus S. Sabini*, ex Arretinis teſtibus primus, & *Johannes Canonicus Domus S. Donati* teſtis quintus, & *Gaius de Arbororo* teſtis ſextus; quorum poſtremus aſſerit, ſe vidiſſe ſæpe *Litanias illarum Plebium, & quinque ex eis cum decem vexillis venientes ad Epiſcopium iſtud*. O quam noſtrorum mores temporum ab priſcæ ætatis pietate diſſident! Cujus tamen imaginem ſaltem aliquam excitare voluiſſe viſus eſt Sanctiſſimus æque, atque Eccleſiaſticorum inſtitutorum veterum Aſſertor doctiſſimus Pontifex Maximus BENEDICTUS XIV., quem Deus ad Catholicæ Religionis incrementum diutiſſime ſoſpitet: Ipſe enim Romanum jam confectum Jubilæum ad alias Chriſtianas Urbes anno 1751. protracturus, edixerat, ut Fideles omnes ad Cathedralem quiſque ſuam religioſe inviſendam accederent. Quod item duobus ante ſæculis, anno nempe 1551. Arretii factum fuerat juſſu Julii PP. Noſtri III, per ſuam Bullam, ſub datum Romæ die 12. Januari, Pontificatus ſui anno II., archetypam apud Moniales S. Catharinæ Arretinæ, ſub numero 24.; qui quidem Pontifex hujuſce Cathedralis Præpoſituram, antequam Papa renunciaretur ſanctiſſime adminiſtravit *Arch. Cath. litter. Filza 2. num. 19. Lib. Deliberat. an. 1544. pag. 142. t.* Et rurſum an-

no 1576., jubente Gregorio XIII. ex univerſa Diœceſi Arretium confluxerunt infra octavam Pentecoſtes Jubilæum adepturi Homines frequentiſſimi. Extat Arretinum Senatus Conſultum de Peregrinis eo tempore intra Urbem excipiendis, hoſpitandiſque; & item Scriptum quod numerum recenſet Sodalitiorum, Collegiorum, Communitatum, quæ publice huc religionis, & pietatis cauſſa ex noſtris Oppidis ventitarunt (*Arch. Civit. Litter. Regiſt.* 13. *pag.* 7. & 18. *Item lib. BB. pag.* 250. *Tabular. Cathedr. litter. filza* 4. Hæc iis dicta ſint, quibus difficile admodum, prorſuſque novum id viſum eſt, quod ſanctiſſimus Pater, & Pontifex BENEDICTUS XIV. faciendum nuper demandarat ad Jubilæi ſui conſecutionem, ut ſcilicet Cathedralem quiſque ſuam præſens inviſeret, & veneraretur, ſemeſtri ad id temporis indicto ſpatio. Sed ut ad rem noſtram redeamus. Ex ſuprà allatis jam cauſſam habes, quare Majores noſtri in Litaniis S. Virginem, Martyremque Luciam invocarent.

At etiam *Xpinam*, nempe *Chriſtinam* invocabant. Sanctam hanc Chriſti Martyrem Arretii olim extitiſſe celeberrimam facile conjici poteſt ex quodam Synodalium Conſtitutionum fragmento, quas Boſus Arretinus Epiſcopus juſſit anno 1345. *Arch. Cap. Arret. num.* 854. Ibi enim Capite ſeptimo, & viceſimo hæc habentur:

bentur: *Quum non deceat a capite membra recedere, ideo Feſtivitas B. Bartolomei Apoſtoli die reverendiſſimæ mortis ejus, Feſtivitas B. Gregorii die 24. Menſis Aprilis, & Feſtivitas B. Criſtinæ die 10. Maii ab omnibus Civitatis, & Diœceſis celebrentur, cum in Cathedrali Eccleſia ſic ſervetur*. Noviſſime vero elapſo anno 1753. menſe Junio, dum aliquantulum reſtauraretur Vetuſta S. Bartholomei Ædes in Civitate, intra Altaris Menſam duæ lignæ thecæ parvulæ repertæ ſunt cum Sacris Oſſibus nonnullis, & fruſta duo membranea his litteris exarata: *Hanc Eccleſiam SS. Bartholomeo & Thomæ Apoſtolis, & Chriſtinæ Virgini, & Martyri &c. Sacram dedicavit Martinus Epiſcopus Arret. Anno* 1223.

Chriſtinam in Litaniis ſubſequitur Reparata. Honor præcipuus, qui S. huic Virgini a finitimis Florentinis exhibebatur, potuit facile etiam Nobiſcum communicari, quin ipſis detraheretur. Idem cenſeas de S. Muſuſtiola, cujus Cultus a Cluſio in noſtram Urbem forte tranſmeavit. Enim vero in Horario vetuſto Cathedralis, quod ſupra adlegavimus §. 12. ad calcem Julii menſis apparet Oratio S. Muſtiolæ: cui item ſacra erat Ara in Eccleſia Plebis S. Mariæ Arret., hodie l' *Altare degli Albergotti*; ſub quo (ſi vulgaribus ſermonibus fides eſſet habenda) S. Muſtiolæ Corpus latitare credendum foret. At nos vulgi ſermonibus minus

movemur, certaque ſolum libet pronunciare; nimirum quarto ab Urbe lapide, Meridiem verſus, vetuſtam adhuc extare Plebem ab hac S. Virgine nuncupatam, ſcilicet Plebem S. Muſtiolæ ad Quartum, quam extitiſſe etiam de anno 1008. apparet ex Archivii Cath. Arret. monumentis *ſub num.* 47. Haud abſimilem huic memoriam item habemus de S. Virgine Eugenia, quæ item rogatur in litaniis, nempe Plebem aliam ad meridiem, cujus titulus *Plebs S. Eugeniæ ad Balneum Aureum*. Quod ſi Antiquas Urbis, & Arretini Agri perſcrutari velimus Eccleſias celebriores, tot SS. monumenta nobis occurrent, ut rationem aliquam pene de ſingulis, qui invocantur in Litaniis, facile reddere poſſimus; omitto enim S. Laurentium, cujus Eccleſiam memoratam vidimus ſupra §. 19. in membrana anno ſcripta 1025; omitto etiam S. Julittam, Sanctamque Savinam, nempe Sabinam Romanam, quarum conſtat non ſolum cultui dedicatas Eccleſias, verum etiam ſolemne Officium apud nos olim per ſolvi conſueviſſe *Arch. Cap. Lection. SS.* Omitto.... At tot jam, tantaque arbitror eruditiſſimo Trombello me rerum certiſſima monumenta exhibuiſſe, ut eam, quæ difficilis admodum adſolvendum quæſtio ſibi viſa aliquando eſt, nedum hodie facilem, verum etiam ſolutam prorſus, & expeditam ſibi viſum iri confidam. Viginti enim

enim Sanctorum invocationes ex noſtris non revocantur indubium; totidemque ex adſcriptitiis (præter SS. Apoſtolos, eoſque Martyres, qui S. Donati exorationem præcedunt, iique ſunt, qui & hodie in Canone Miſſæ memorantur, totaque Eccleſia ſunt percelebres) quorum invocatio peculiari aliquo jure apud Majores noſtros erat in uſu. At eſto nullo jure ad nos pertinerent. Quid tum? Ubi nam gentium amabo, Sanctis aliarum Eccleſiarum, & præſertim Romanæ tacitis, Indigetes tantum, & ſingulariter exorantur?

## ſ. XXII.

*De aliis SS. Martyribus Arretinis. Quorum nomina haud memorantur in Litaniis Trombellis & præcipue de Sanct. Gaudentio & Columato.*

NEque ideo quiſquam ſit, qui judicet, Eccleſiam Arretinam iis tantum gloriari poſſe Martyribus, qui in Litaniis Trombellanis exorantur. Etenim num exorantur in Litaniis illis S. Marcellus, ſanctaque ejus filia Capſia? Conſule tamen de his ſ. 5. Num SS. Aneſtaſius, Bacilius, Deomoſtodis? at eos reperies memoratos ſupra ſ. 7. Num Andreas cum Sociis? At vide de his iterum ſ. 7., & 10. De SS. Delphebo, Femineo, Fimineo, & Machario reticetur quidem in Litaniis; nihilo tamen minus,

legas rurſus ea, quæ de ipſis, & præſertim de S. Machario ſupra recenſui §. 7, & 12. Mentio denique nulla in Litaniis de S. Eugenio, nulla prorſus de SS. Juſto, & Hermenio, nulla de S. Nicoſtrato: Quid tum? num noſtri haud ſunt? Videas hac, quæſo, ſuper re §. 8. & 19. Videas & §. 13. videas demum §. 18. At vero habemus profecto etiam alios. Habemus S. Gelaſium, qui S. Donatum in Præſulatu excepit, in ejuſque memoriam Ædiculam parvam condidiſſe fertur, in qua Chriſtiani S. Martyris corpus clam intulerunt. Conſule Enarrationem rerum perverſe geſtarum in Eccleſiis S. Stephani, & S. Donati, quam ab Muratorio publici juris factam jam eſſe ſupra indicavi num. 18. Ibi & hæc inter alia: *Ex eo tempore, quo Gelaſius Oratorium S. Donato parvum ædificavit*. Habemus S. Severinum item Epiſcopum, quem S. ejuſdem Donati ſcripſiſſe Hiſtoriam, fatetur Baronius Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor Eminentiſſimus in Animadverſionibus ad Martirologium Romanum. Rurſus habemus SS. Domitianum, Florentium, & Decentium; quorum ſinguli Eccleſiæ noſtræ præfuere, eamque inluſtravere martyrio. Quoſque brevitatis gratia prætereo. At Gaudentium Epiſcopum, ejuſque Diaconum Columatum, Martyres ambos præclariſſimos nulla poſſum ratione præterire: Horum enim ſolemnis memoria nedum hodie

hodie apud nos colitur ſolemni quotannis Officio die Junii 19. verum etiam in Cathedrali Veteri, extra muros Urbis, habebatur in cultu: idque tuto arguitur ex ſerie Indulgentiarum ſæpius memorata; ibi ad menſem ipſum Junii: *A dì 19. del detto il dì di Santo Gaudenzio, e Columato c'è di perdono cento venti dì.*

Martyres iſtos Bollandiani Socii paſſos ſcribunt Aretii ſub Marcelliano Præſide ſæculo IV. una cum Andrea Quadratiani Auguſtalis Vicario, cumque aliis tribus, & quinquaginta; ſcilicet ipſius Andreæ uxore, filiis, ſervis, totaque familia; quorum ſinguli a S. Gelaſio Epiſcopo baptiſmate fuerunt abluti; inde vero poſt Martyrium tumulo traditi a S. Decentio, qui B. Gaudentium ipſum in ſerie Epiſcoporum *Arch. Cath. num.* 3. pone ſequitur: revocetur iterum ad memoriam prima lapidei monumenti pars, quæ in hodierna Cathedrali habetur, (ut dictum eſt ſupra §. 5.) ubi legitur: *Sepulcrum &c.* 54. *nobiliſſimorum, & notiſſimorum omnium de Urbe Aretina*. Sanctum hunc autem Andream quanti fecerint Majores noſtri, vel ex eo conjici poteſt, quod quum Civitatem in quatuor regiones diviſiſſent, quas portas appellabant; alteram ex iis a Sancto Andrea nuncupatam voluerunt. Sunt autem hujuſmodi *Porta Fori, Porta Burgi, Porta Crucifera, Porta S. Andreæ,* quarum in vetuſtis monumentis mentio paſſim occur-

occurrit: de poſtrema autem hac videas ſupra §. 19. Nomen autem ei dediſſe mihi ſuadeo Eccleſiam Sancto huic Martyri ea in regione dicatam; quæ Eccleſia adhuc extat ex adverſo vetuſtiſſimæ item Ædis S. Laurentii, neque longe diſtans a S. Agnetis. Vide rurſus hac ſuper re alterum ex tribus monumentis ab Archivo Monaſterii S. Floræ deſumptis, & ſupra allatis §. 19. In ea autem ſacra Æde, quæ tamen hodie commune cum S. Georgio habet nomen *Andreæ*, ſervatur ſub Ara majori Arca lignea prægrandis, plurimis ſacris Oſſibus referta, quæ ipſius S. Andreæ, & ſociorum MM. eſſe dicuntur. In fornice hujus Ædis penicillo eleganti picta inſpicitur S. Andreæ capitis obtruncatio, adſtantibus uxore, filiis, aliiſque eodem ſupplicii genere mox perituris: item alio loco Sacri Cadaveris humatio intra puteum, uti apparet ex pictura. Item reminiſcere, quod de ipſius feſta die in veteri Cathedrali, & fortaſſe etiam in hodierna antiquitus celebrata dictum eſt ſupra §. 7., *&* 10.

Sed ut iterum ad SS. Gaudentium, & Columatum ſermonem meum convertam: Libet id referre, quod elapſis menſibus mihi contigit, cum nobilem virum æquè ac gravem Fortem Coſmam de Fortibus Stephaniani Ordinis Equitem, annos natum ultra octoginta, conveniſſem domi ſuæ ſalutationis gratia. Quum enim in

in ambulationem veniſſemus, apricantes in hortulo ſuo; compluribus factis ſpatiis, ex vario inter nos ſermone in SS. Gaudentii, & Columati memoriam, & recordationem incidimus. Tum ille: Eram forte annos natus quindecim, cum in Amphitheatri noſtri ruderibus, intra ſepta Monaſterii S. Bernardi, ſperarunt nonnulli homines, inter quos & Pater ipſe meus, ſe poſſe Theſaurum effodere, Gallo quodam ſtimulante Mago: Magum enim putabant. Videbam quotidie operas ligonibus, palis, & id genus ferramentis terram eruere, lapideſque, & in ſolo aperire meatus; auditor ſiquidem eram quotidianus cujuſdam ex Monachis. At mane quodam circa meridiem, pſallentibus in choro Monachis, capſa quædam inſpici cœpit ex quadratis lateribus compacta, magniſque tegulis cooperta. Conclamatum eſt a foſſoribus: *Sepulcrum eſt, Theſaurus eſt*. At, qui preerat operi Lelius quidam Guiducci, pravi percuſſam ligone capſam confregit, ſtatimque prorupit undique maceria prominens, ſcrobemque cum monumento penitus referſit. Quod ubi reſcitum eſt; accurrunt Abbas, & Monachi (erat Abbas ex nobili Bonuccia gente); & graviter hominis avaritiem incuſant. Cœptum inde fuit, ipſis jubentibus, curari, ut ſcrobs iterum eſſoderetur, & in apricum arca proferretur. At ea fruſtatim eruebatur ſimul cum humauis oſſibus.

bus. Unum illud omnium mœrori ſolatio fuit, quod modo dico; Duo ſcilicet hominum capita in congerie rerum reperta ſunt, ſubtuſque coctilis later, cui palmæ imago erat impreſſa, quem memini, me poſtmodo vidiſſe. Frequentiſſimus interea advenerat populus, ita ut, ingruente turba, valvas Monaſterii obſtruere neceſſe fuerit. Jamque Abbatis vocatù Antiſtes tum temporis noſter, ni fallor, Joſeph Octavius de Attavantibus cum graviſſimis viris convenerat, & una Riccomannus, & Sinigardus, & alii Medicæ artis uſu periti; qui inſpectis minutim oſſibus, & in unum collectis, ea duo corpora compoſuiſſe, capitaque ex occipitio ferro jam fuiſſe obtruncata declararunt; creditumque fuit a pleriſque, eas BB. Gaudentii Epiſcopi noſtri, & Columati Diaconi Reliquias eſſe. Quæ quum dixiſſet, finem ille. Ego autem: Numquid quiſpiam addubitavit? Atqui in eorum Actis manifeſtè legimus, eos inter Caſtrum, & Nimpheum fuiſſe poſt Martyrium ſepultos: Si ergo intra ſepta Monaſtarii reperta oſſa illa ſunt; intra Caſtrum, & Nimphæum reperta fuiſſe quis non videt? At illle: Quodnam putas Nimphæum? Nonne locum illum, quem *B*alneum Niſmpharum nuncupamus? Si enim illud eſt, jam oſſa iſta in loco ſepulturæ SS. Martyrum, non ſunt inventa. Ego vero, inquam, Nimphæi nomine non quidem foſſam illam, ſed locum totum intel-

intelligo, in quem aquæ ad publicam amœnitatem deducebantur: Aquæductuum autem hujuſmodi nonne veſtigia adhuc extant quaqua verſus ante Monaſterium S. Bernardi, aut opere arcuato, aut per ſubterraneos cuniculos? Monaſterio vero nonne ſubſtructionem ſuppeditant parietinæ Amphiteatri, ubi SS. Martyres interfectos narrat hiſtoria? At ſcin, quid SS. illis Reliquiis factum ſit? Tum ille: Intra ligneam arcam recondi juſſit Epiſcopus; eamque ſigillis ſuis bene munitam in ſacrarium Monachorum adſportari; ubi intra grande armarium ſine tamen cultù ad noſtra uſque tempora ſervata ſunt: Audio tamen mihique dolet vehementer, hujuſmodi Capſam hodie ſupra idem ipſum armarium minus decenter haberi. Quid tu vero, inquam, autumas de SS. illis Oſſibus? Inſigni enim Palmæ infictili latere inventum Martyrium pro certo ſignat; locus vero, ubi reperta ea ſunt indubias ſupplet vices nominum. Ego vero, inquit ille, dubio procul arbitror SS. Gaudentii, & Columati corpora eſſe: Hinc tacitus ſubridebam, cum elapſis menſibus indagaretur, ut dictitabant, in horto illo Urbano ad ripam Caſtri flùminis extra Monaſterii ſepta, eorum ſepulcrum. Hæc mihi narrabat vir ille ſummæ auctoritatis, & fidei, ajebatque ea contigiſſe circa annum 1688.

Refricetur hic, amabo, memoriæ monumentum illud, quod ſupra attuli ∫.20. ex Tabulario Mona-

Monaſterii S. Floræ *caps S. num.* 48. ubi mentio habetur *Eccleſia S. Gaudenti*, ponderenturque ſinguli, qui ibi deſcripti ſunt, fines: Nempe finitima Urbis vicinitas; fluvius *Caſtro*, locus vocabulo *Al Pino* non longe a *Terra S. Donati*, nimirum prope Domum Veterem; a quà non procul vineam fuiſſe ſcimus dictam *Al Pino* ex privilegio Petri Arretini Epiſcopi datum Anno 843. *vide ſupra §.* 18. & hinc conjice, quo loco condita extiterit, & a quam diſſitis ſæculis Eccleſia S. Gaudentii; quum vero videas eam circa locum illum extitiſſe, ubi Sacra Oſſa vir ille graviſſimus & nobiliſſimus ajebat fuiſſe reperta, non ultra erit ambigendum, utrum SS. Gaudentii, & Columati oſſa ea fuerint nec ne. At inquies, locum nedum prope Civitatem, immo intra muros haberi; Habeatur quidem. At anno 1030. quo Inſtrumentum illud confectum eſt, ubi Eccleſiæ S. Gaudentii fit mentio, non Eccleſia tantùm ipſa, (quam conditam circa eum locum dico, ubi nunc Monaſterium extat S. Bernardi), in ſuburbiis Arretii extitiſſe certiſſimum eſt, verùm etiam S. Michaelis Eccleſiam *Arch. S. Floræ caps P. num.* 8. immo & S. Petri Parvuli *ibi caps Q. num.* 2. immo etiam & plebis S. Mariæ Arretinæ *ibid. caps E. num.* 61.

Sed tam multis, quæ de SS. Gaudentio, & Columato diſſerui, verbum unum liceat adjicere de S. Savino; cujus imago in Tabula Bonamici,

mici, *de qua ſupra* ∬. 18., inſpicitur Pontificali infula ornata. Cur Epiſcopum ſibi eum finxerit eruditus ille vir, neſcio; illud ſcio ex Actis Bollandianis, SS. Gaudentium, & Columatum deliteſcere conſueſſe, & verſari extra Urbem in loco *Pitigliano*, apud nobilem quemdam Virum Savinum nomine, cujus opibus, & liberalitate ſuſtentarentur. Haud fortaſſe fallor, mecum ipſe reputans, Savini hujus Villam eo loco fuiſſe poſitam, ubi nunc ad Pitiliani Collis radices degunt pietate æquè, ac doctrina inſignes homines, qui S. Virginis Tereſiæ ardua perſequuntur veſtigia. Conſpicitur in Eccleſia nobilis Cœnobii adhuc Tabula, jam vetuſtate collabens, quæque antiquitus majoris, modo marmorei Altaris faciem exhibebat, & in qua SS. Martyrum noſtrorum grandes imagines, præclaraque Acta coloris expreſſa non rudibus videntur.

## ∬. XXIII.

### *De S. Antilia V. & M. Arretina*

Veneramur etiam in Cathedrali S. Antiliæ V. & M. Corpus ſine tamen Capite; Hoc ſi quidem hodie colitur in proxima Urbe Montis Politiani, quod olim Arretinæ Diveceſis oppidum fuit, ut infra patebit ∬. 29.. Solemne huic Virgini Officium tum in Civitate, tum in Diœceſi perſolvitur ſingulis annis die 25. Septembris; Quod tamen in Cathedrali Veteri ſuburbana

per-

perſolvi ſolitum fuiſſe poſt biduo, eruimus ex ſæpe citata Indulgentiarum ſerie. Ibi enim ad ipſum Septembrem: *A dì 27. dil detto il dì di S. Antilia diſcepula dil glorioſo S. Donato c' è di perdono cento ſeſſanta dì* Quid hoc eſt? Docent nonnulli, S. Antiliam quamdam, Theodoſio Cæſare patre ortam, ab S. Donato Euroeæ in Epiro Epiſcopo dæmoniacis vexationibus fuiſſe ſanatam, eamdemque ſe ei deinde erudiendam tradidiſſe. Quo pacto poſſint iſta cum noſtris convenire, me latet: Hoc quidem certum, quod quum anno 1286 Majores noſtri novum Magnificumque Sepulcrum S.Donato in hodierna Cathedrali excitaviſſent (prout ſupra innuimus §.4.), Aræ ſcilicet majoris pernobile ædificuim, ab poſtica parte ſepulcralem arcam marmoreis columellis ſuſtentatam exhibens, (*Vide Vitas Pictor. &c. Georgio noſtro Vaſario Auctore in vita Iohannis ſculpt. Piſani pag. 19., & Arch. Canonic. Arret. Proces. B. pag. 29., & in Tabul. Epiſcop. Arret. librum: Viſita Apoſtolica tom. 1. pag. 12.*) Epigraphen in fundo ipſius arcæ duobus locis iterum iterumque inſculpendam curarunt, ut cuique integrum eſt videre, qui oculos ad fundum illum extollat, qui columnis. ut dixi, fultus ſpeciem quamdam parvæ porticus efformat, & quaſi veſtibulum ingredientibus per poſticum in Cellam Altaris. Sic autem ſe habet Epigraphe.

HÆC EST CAPSA PVLITA AD VNGVEM, DE QVA FIT MEMORIA IM TRANSLATIONE B. DONATI EPISCOPI ET MART., IN QVA REQVIEVIT, ET NVNC REQVIESCIT CORPVS EJVS CVM CORPORIBVS B. ANTILIÆ VIRGINIS, ET SS. MM. LAVRENTINI ET PERGENTINI: QVÆ CAPSA FVIT FRACTA PRO ISTO FVNDO.

Tranſlatio hic innuitur, quam Jacobus noſter Buralus edidit in Vita Theodaldi Epiſcopi *p.* 38. negligentia, ut reor, Typographi mendis ſcatentem innumeris; Hujus tamen Hiſtoriæ exemplar emendatius habent Canonici Cathedralis manù ſcriptum *Proceſ. B. pag.* 41. *t.* , exquo in argumentum ſupra allatæ Epigraphes pauca quædam opus hic eſt delibare. Ibi itaque: *Sequenti vero die intrant* ( Epiſcopi ) *ad dedicationem Eccleſiæ* ( S. Donati, quam Theodaldus nuperrime perfecerat ante annum ſcilicet 1026, prout indicavi ſupra §. 2. juxta Eccleſiam antiquiorem S. Stephani extra Muros.): *In qua quidem Dedicatione facta eſt contentio inter Epiſcopos,*(Lambertum ſcilicet Florentinum; Jacobum Feſulanum; Petrum Caſtellanum; Theodaldum Eugutinum, quos una cum Rainerio Tuſciæ Præſide, univerſiſque Etruſcis Proceribus Theodaldus noſter ad celebrandam S. Donati Tranſlatronem, novique ejus Templi Dedicationem accerſiverat)

rat ) *Quiſnam eſſet loculus, in quo Sacrum recondendum ſit Corpus. Sunt namque in Altari B Donati duo Tumuli, ambo pares, nive Candidiores, materia ſimiles, opere vero diſſimiles &c. Alter expolitus, & totus in unguem raſus &c. in eo locant S. Corpus &c. In altera autem Theca, novo veterique Teſtamento nobiliter inſignita, repoſitus eſt S. Meritianus*: de quo ſupra §. 12.

De hoc igitur Marmore leviſſimè expolito meminit Epigraphe, quam ſupra exſcripſi, illis verbis: *Hæc eſt Capſa pulita ad unguem, &c.* quà, ab veteri domo una cum Corpore B. Donati, ut videtur, tranſvecta, uſi ſunt tandem Arretini Noſtri ad ſubſtructionem novi Sepulcri, in quo idem S. Donati Corpus reconderetur, una cum Oſſibus S. Antiliæ Noſtræ, Sanctorumque Laurentini & Pergentini &c. Verum cum legerim in Epigraphe S. Antiliæ Virginis nomen, nulla de ejus Martyrio mentione facta, de quo ſiletur etiam, ut viſum eſt, in ſerie Indulgentiarum; ſane mirabar, quare apud nos, apudque Politianam Urbem ejus Sacrum Officium tamquam de Martyre perſolveretur. His accedebat, quod in libellis vetuſtis, quibus Ordo Divini Officii recitandi deſcribebat olim Petrus Uſimbardius Epiſcopus Arret, anno ſcilicet 1598., Antonius que de Riccis noſter item Antiſtes an. 1619. ( quos libellos collegit, eiſque, atque aliis monumentis compluribus Archivum Cathedralis noſtræ,

ſtræ, a ſe jam ante in certum ordinem diſtributum, ac multifariam inluſtratum, auxit hodiernus Cuſtos ejus diligentiſſimus, virque præſtantiſſimus Paulinus Giannerini, ejuſdem Eccleſiæ Canonicus-Theologus, & Canonicæ Camerarius) ego hæc legebam: *Die* 24. *Septembris S. Antiliæ Virginis duplex in tota noſtra Diœceſi. Ejus Corpus aſſervatur in Eccleſia Cathedrali, Hymnus pro Virgine tantum &c.* At cum poſtea viderim in Sacrario Monaſterii hujus S. Floræ Reliquias haberi S. Antiliæ Virg. & Mart., & iterum alias Reliquias S. Antiliæ Virginis Theodoſii Imperatoris filiæ, facile mihi ſuaſi, jure meritoque ritum, ab duobus illis Epiſcopis olim præſcriptum, fuiſſe hodie emendatum; Aliam etenim extitiſſe apparet Antiliam Noſtram Martyrem ab Antilia Theodoſii filia Virgine tantum, Sanctique Donati Diſcipula, non tamen noſtri, ſed Epirenſis.

## ſ. XXIV.

### *De S. Pergentia V. & M., ubi & de SS. Cornelio, Firmina &c.*

IN actis SS. Noſtrorum Laurentini, & Pergentini apud Socios Bollandianos ad diem 3. Junii *pag.* 271. lego, Sanctos illos Pueros, eorumque Parentes, atque unà S. Pergentiam ſeu Pergentinam ſororem fuiſſe a S. Cornelio Baptiſmate ablutos; quorum ſinguli deinde ſimul cum



Digitized by Google

*Quadringentis* aliis fortiter pro Chriſto necem oppetiiſſe , ibidem dicuntur . At quidnam eſt ( o male factum ! ) , quod SS. horum Martyrum , præter Laurentinum , & Pergentinum , nulla neque fiat , neque fieri curetur memoria apud nos ? Si enim Acta illa SS. Fratribus ſuffragata ſunt , cur non & eorum Parentibus ? cur non & Sorori , communique ipſorum omnium Fidei Magiſtro , & Baptiſtæ S. Cornelio ? præſertim cum non deſint , qui doceant , eum , qui in Actis prædictis *Unus de Sacerdotibus* appellatur , Arretinum Epiſcopum fuiſſe . Enim vero priſcis illis Sæculis , Sacerdotum nomine Epiſcopos Urbium fuiſſe ſignificatos , quorum erat baptiſma conferre , neminem latet . Quod ſi pro vero probetur , vulgaris opinio jam cadet de Sancti Sathiri primatù in Arretina Cathedra : Sathirus enim , Conſtantino , Cornelius vero , imperante Decio , vixiſſe comperiuntur . Verum nolo , hanc quaſi Camarinam movens , adverſarios mihi ſexcentos excitare . Interea Bollandiani ſcriptores S. Sathiri ævo non ſolum autumant Eccleſiam noſtram antiquiorem , verum & antiquiſſimam prædicant, & quaſi ex Jesu Chriſti Latere ipſo profluentem . ( *Act. SS. Iunii tom. 1. ubi de SS. Laurentino &c.* ) . Hæc enim ibi : *Aretium , ſive prima conſonante duplicata , Arretium , antiquiſſima Hetruriæ Urbs , & a Livio inter tres nobiliſſimas numerata , ſicut ſub Gentilibus ſcripto-*

*ribus*

*ribus illuſtris famæ habita fuit; ita non minoris gloriæ fuiſſe cenſetur, dum Chriſtianam Fidem ſuſcepit, prædicante S. Romulo S. Petri Alumno, & Hetruriæ Apoſtolo &c.*

Ego hujuſmodi teſtimonium infirmare quidem non audeo; probare tamen vix auſim; etenim vetuſtam adeo, atque perobſcuram agere cauſam difficile admodum eſt. Hæc tamen Bollandianorum opinio congruere cum iis quodammodo videtur, quæ ſupra attuli, dum agerem de S. Stephano Protomartyre §. 3. Quidquid vero id ſit; S. Pergentia, Sanctuſque Cornelius digni quidem ſunt, qui albo SS. noſtrorum, quorum ſaltem nota ſunt nomina, adjiciantur. Forte etiam a S. Cornelio noſtro nomen ſortitus eſt Collis Urbi finitimus, qui & alio nomine appellatur *Caſtelſecco*; Forte etiam in vetuſtis illis Litaniis, non deerant ex majoribus noſtris, qui Cornelium invocantes, crederent, ſe exorare pro Cornelio Romano Pontifice, Sacerdotem hunc Arretinum.

Item Faſtis Arretinorum Sanctorum, quorum negligitur apud nos, injuria temporum, memoria, addenda meo quidam judicio eſt S. Virgo Firmina. quam Buralus noſter in vita S. Donati *pag.*2. Martyrium una cum ipſo paſſam adfirmat. Huic ſacra adhuc eſt Eccleſia Parochialis, altero ab Urbe lapide ad meridiem; Villaque ipſa incolis frequentiſſima vulgo dicitur

*S. Formena*. Antiquarii quidam noſtri in eo ſunt, ut ſperent, ſi quando e loco amoveatur ara illius Eccleſiæ, fore, ut S. Firminæ corpus inde eruatur; prudenterne id ſperent, an non, dicere vix auſim. Verùm ad alia pergamus.

## §. XXV.

### *De S. Hilario ſive Illaro M., quem hodie forte per errorem appellant Higinum.*

IN Tabulario Monialium S. Joannis de Prato Veteri in Cluſentino noſtro ſervantur monumenta plurima pretioſiſſima, quæ ſingula mihi nuper contigit ut pervolverem una cum nobiliſſimis, eruditiſſimiſque Viris, meiſque Municipibus, Hyacintho Foſſombronio, & Joanne Franciſco de Giudici Ordinis S. Stephani Equite, Antiquitatum ſtudioſiſſimis. Ibi igitur *ſub n.76.* venit nobis ad manus involucrum membraneum, multa continens ſcitù digniſſima; & præcipue donationem quamdam præfato Monaſterio jam factam ab Hieronymo Epiſcopo Arretino pridie Kal. Mady Indict. XI. anno 1149. cujus initium: *Jeronimus Dei gratia Aretinus Epiſcopus Venerabili Abbatiſſe Sophye Monaſterii S. Johannis Evangeliſta ſiti in loco, qui dicitur Prato Veclo &c.* Ea igitur donat Epiſcopus noſter Abbatiſſæ, ejuſque ſororibus Eccleſiam quamdam, prope Arretium, juxta Caſtellum, quod dicitur *Puglia*; quæ quidem Eccleſia dicata erat, ut ibi dicitur *ad honorem*

*rem Sancti Illari, & S. Sepulcri*. Ad hujuſmodi Eccleſiam, ( ſicuti eruitur ex alio libello item Memoraneo ), accedebant quotannis Moniales noſtræ S. Benedicti, quæ prædictæ Abbatiſſæ Prati Veteris juriſdictioni parebant. Ipſa vero Arretium ſe conferebat interdum Monaſterium S. Benedicti inviſura, & Moniales aliquando ex alio in aliud Monaſterium ad habitandum deducebat, prout rebus conferre ſibi videbatur. Moniales igitur S. Benedicti, S. Hilarii, ſive Hillari Feſtum in ejuſmet Eccleſia prope *Puliam* celebrabant in Menſe Majo. Quod tamen fieri deſitum eſt circa annum 1305., ut patet ex monumento, quod inde de verbo exſcriptum hic affero.

*Ildibrandinus Miſeratione Divina Epiſcopus Aretinus Reverende in Chriſto Domine Sophye Abbatiſſe & Conventui Monaſterii S. Johannis de Prato Veteri ſalutem in Domino ſempiternam. Cum conceſſiones olim vobis per Predeceſſores noſtros factas de Eccleſia S. Illari prope Villam Pullia cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis per alias noſtras patentes litteras confirmaverimus; & Eccleſia ipſa, ſicut accepimus, adeo eſſet in redditibus tenuis, quod proprium non poſſet ſuſtentare rectorem, conceſſerimus vobis. quod Reliquias ipſius Eccleſie S. Illari transferre poſſetis ad Eccleſiam veſtram S. Benedicti de Aretio, ibi in altari tenendas & conſervandas reverenter, ad hoc ſpetialiter pro reverentia dictarum Reliquia-*

*liquiarum & honore B. Illari fabricato : Et , ſicut aſſeritur , litteras illas , in quibus continebatur hujuſmodi gratia , perdideritis , nobis humiliter ſupplicantes , ut eamdem Traslationem de licentia noſtra factam , gratam habere dignaremur , & ratam, ut inde fieri poſſit ſemper , cum expedierit , plena fides : Veſtris ſupplicationibus inclinati Translationem eamdem ratificamus , & ipſam , quia licite facta eſt , auctoritate præſentium approbamus ; in cujus rei teſtimonium præſentes litteras concedimus vobis ſigilli noſtri appenſione munitas .*

*Datum Aretii die* 27.*Menſ. Mart. Anno Dom. Nativit.* 1305. *&c.* Ex hac ergo Bulla habes , Reliquias S. Hilarii , ſive Hillarii apud Moniales S. Benedicti Arretii ante Annum 1305. ab ejus Eccleſia ſuburbana tranſlatas . At hodie non habent : Immo vero habent ; ejuſque Feſtum concelebrant ſolemniter ſingulis annis Dominica poſt Paſcham altera , quæ ſæpius offendit in Menſem Majum ; quo tempore , ut ſupra ſignificatum eſt , feſtum hujuſmodi agere conſueverant antiquitus in Eccleſia propria S. Illari , & S. Sepulcri . At in præſenti , inquies , non quidem S. Illari , ſeu Hilarii , ſed S. Higini Feſtum concelebrant , ejuſque Sacras Reliquias ſub ara majori honorificè conditas exhibent inſpiciendas : Quid ad iſta ? Ego nihilominus a mea ſententia non recedo ; factumque puto , ut , deperdita paulatim Translationis memoria ; cum ſigna-

ſignatum forte S. Hilarii nomen poſtmodo Moniales inveniſſent primis dumtaxat litteris, ut ſcribendi mos quandoque fuit, exempla cauſſa *Corpus S. Hi.*, falſo divinarint, initium illud eſſe nominis *Higini*, quum revera eſſet *Hilarii*, ſive *Hillari*: Neque apud ſe monumenta ulla habebant, quibus errori mederentur; quum ea apud Moniales Prati Veteris, ut noſti, ſerventur. At neque documentum habent ullum, quo digito quaſi demonſtent S. Higini corpus illud eſſe, quod colunt; Enim vero percontanti mihi nuper ab ipſiſmet Monialibus S. Benedicti, unde, & quo tempore S. Higini Corpus habuerint, ſe id noſſe negarunt; lapidemque unum dumtaxat recentiſſimis hujuſmodi litteris exaratum in in pariete Eccleſiæ indicarunt: QVESTA E' LA PIETRA, CHE RICVOPRIVA IL SEPOLCRO, DOVE GIACEVA IL CORPO DI S. IGINO MARTIRE. At ubi nam jacebat? Num Romæ in Sacris Hypogæis? Verum quomodo factum eſt, ut Roma Arretium transferretur hujuſmodi corpus una cum ipſomet ſuo Sepulcro lapideo? Inutile quidem magni laboris opus. Corrigenda ergo, ſententia mea, iſtiuſmodi memoria eſt, inſculpenduſque ſic lapis.

QVESTA

QVESTA E' LA PIETRA, CHE RICVOPRIVA IL SEPOLCRO, DOVE GIACEVA IL CORPO DI S. ILLARIO MARTIRE, DALLA SVA CHIESA PRESSO A PVGLIA QVA TRASLATATO AVANTI ALL'ANNO MCCCV. D'ORDINE D'ILDIBRANDINO VESCOVO D' AREZZO.

Quod ſi mea hæc opinandi ratio veritati conſona, ut confido, videbitur, fatendum jam erit S. hunc Martyrem non inquilinum eſſe, nobiſque donatum, ſed municipem, noſtratemque. Verum ſi Moniales S. Benedicti aliquando exhibeant monumentum aliquod, quo ex Romanis Hypogæis S. Higini Corpus erutum fuiſſe oſtendant; ultro, libenterque adjiciam S. Higinum S. Maximo Martyri, cujus Corpus apud noſtras Moniales S. Mariæ Novellæ Ordinis S. Dominici ſervatur; Sanctoque Marco item Martyri addam, cujus pariter Corpus in Eccleſia S.Bernardi apud Monachos Congregationis Olivetanæ Arretii colitur; utrumque ad nos Roma miſſos elapſo ſæculo.

## §. XXVI.

### *De SS. aliis Recentioribus non Martyribut,*

VErum inquiet quiſpiam; Nullius-ne Arretii S. Vir, femina Sancta nulla, qui abſque Martyrio ſupremam Pietatis laudem ſint conſequuti? Ego vero: Num minus eſt Martyrem eſſe, quam

quam non eſſe talem? Verumtamen falſo autumant, Arretinos Sanctis non Martyribus omnino carere. Adeatur Eccleſia S. Franciſci: Ecce tibi ſtatim Sepulcrum B. Benedicti Arretini ex nobili Sinigarda Gente, quem alterum ex Sociis S. ipſius Franciſci fuiſſe prædicant, quique ex Paleſtina Digitum S. Danielis Prophetæ ad nos detulit, ut hodie inviſitur inter Sacras Reliquias ejuſdem Eccleſiæ, B. hujus Benedicti imaginem vetuſtiſſimam exhibent Bollandiani Scriptores in Actis S. Antonii Patavini ad Menſem Junium *tom.2.pag.*714. feruntque vita functum an. 1224. pridie Cal. Septembris. Adeantur Religioſi homines, qui apud S. Petrum Parvum degunt, Servique appellantur Mariæ, quæraturque ab eis, num Sanctum aliquod Corpus in eorum Eccleſia requieſcat? Reponent ſtatim, ſe Corpus habere B. Nicolai Arretini, ſacræ eorum familiæ Alumni vetuſtiſſimi, intra Sepulcrum ſub Turri Campanaria, in quo non multis ab hinc annis repoſitum fuit, ab Sacello Patriciæ Albergottæ Gentis, ubi eatenus jacuerat, amotum. Adeas inſignem, ſæpiuſque memoratam Sacram Ædem illam, quæ Cathedrali noſtræ unita Canonice, & perpetuo eſt, inque tumbam deſcendas, ubi SS. Reliquiæ aſſervantur religioſiſſime, protinus obverſabitur oculis lapis marmoreus fractus quidem atque incruſtatus in pavimento, in quo tamen facili negotio iſthæc leguntur.

HIC REQVIESCIT CORPVS B. RAINERII DE ARETIO SECVNDVM EIVS PROPHETIAM IN HVNC LOCVM TRANSLATVM A. MCCCCXVII.

Aſſerunt B. Virum hunc de familia Comitum fuiſſe, quos Paganellos nuncupabant. Iterum Adeas Monaſterium Monialium, quæ a Spiritù Sancto Arretii appellantur; oſtendent & ipſæ Sarcophagum ſub quodam Altari intra ſepta Monaſterii in Sacrario Eccleſiæ, cum Epigraphe CORPVS B. PHILIPPÆ, quam ſanctiſſimè vixiſſe ajunt in antiquo earum Cœnobio S. Sperandei. Habemus etiam Corpus B. cujuſdam Siramnæ, quod quidem elapſo Anno nuperus Abbas S. Floræ Gabriel Scarmagli, vir morum probitate & eruditione præſtans, ac præſertim Antiquaria, ut opera ejus indicant noviſſime Typis edita, ex Parochiali ſuburbana Eccleſia S. Floræ, quam dicunt de ſtaggiano, quæ jure Patronatus ad ipſius S. Floræ Monaſterium ſpectat in ipſum private tranſtulit intra Urbem, quum viſum forte ſibi fuerit in ea Eccleſia minus decenter ſervari. Verum ad Eccleſiam Cathedralem rurſus me revocat B. Michæl Flaminius, Domo Arretio, Abbas olim Generalis Congregationis Vallis Umbroſæ, cujus Sacrum Caput ibi ſervatur, muneri datum Sponſæ huic ſuæ Anno 1688. ab Joſepho Octavio Actavantio Arretino tum Epiſcopo, quod ipſe ab Monachis illis dono obtinuerat

nuerat *Archiv. Cathedralis Proces . E. pag.* 88. Revocat me rurſus ex Numero Martyrum S. Romanus, alienigena quidem, nempe ex Sodalitio Divi Laurentii inter Martyres celeberrimi; cujus tamen Sacrum brachium adhuc, quod maximè mirum eſt, carne veſtitum colimus. At præ reliquis eo me revocat glorioſum Sepulcrum Beati Gregorii Papæ Decimi, quo quidem loculo adeo Arretini ſibi placent, ut Beati hunc Pontificem quaſi municipem, & Patronum venerentur, & colant ab ipſo met ſui obitus tempore, ut patet ex eodem Cathedr. Archivo *num.* 725, *&* 761 ubi mentio fit cujuſdam Senſi Giliotti de Radecondola, qui *cuſtos* eſſe dicitur *Corporis B. Gregorii* Anno ab ejuſdem morte non amplius ſexto, & decimo, Scilicet Anno 1292. Videas rurſum Partem illam Conſtitutionum Boſi Epiſcopi Arretini de Anno 1345, quam ſupra exſcripſi §. 21. ubi agebatur de S. Chriſtina; & unde apparet Feſtum B. hujus Gregorii, quod modo agitur Arretii Decima, & Vigeſima octava Januarii die, tum temporis die 24. Aprilis juſſum fuiſſe celebrari. At hic forte erit, qui ſuſpicetur, me nolle de S. Virgine Noſtra Juſtina Verba facere, cujus incorruptum Corpus, magnifice elatum, colitur quotannis 4. Idus Martias in Eccleſia S. Crucis Arretii apud Moniales Ordinis S. Benedicti. Immo vero ego extremam hanc hujuſce Capitis partem

tem

tem receperam de induſtria, ut ſingularia quædam, & prorſus ignota de S. Virgine differerem: Enim vero ne Bollandianis quidem ea, quæ ſum hic prolaturus, innotuerunt; ſiquidem Acta quædam ab eis in lucem ſunt prodita; *tom.* 2. *Martii pag.*242. ex quibus non facile colligitur, quomodo S. iſta Juſtina ad noſtras Moniales S. Crucis potuerit ullo tempore pertinere. Audiant me igitur & Bollandiani ipſi, & ſi qui ſunt alii, quorum noſtra aliquantulum interſint. Dum quatuor annis Membranæ per eruditiſſimos viros illos, quos ſupra §.25. honoris cauſa nominavi, Equitem Joannem Franciſcum de Giudici, & Hyacinthum Foſſombroni mecum pervolverentur, & diligentiſſime digererentur, quas apud ſe habent prædictæ Moniales S. Crucis Aretii, dignæ nobis præ reliquis viſæ ſunt, quarum perpetuo recordaremur, eæ, quæ ad S. Juſtinam poſſent aliquo pacto pertinere. Hujuſmodi autem eſt primo, quæ occurrit *ſub num.* 33. Particula ſcilicet Teſtamenti cujuſdam Nicolai quondam Nerconis, mandantis, ut ex re ſua centum libræ expendantur pro *Ædificio unius Monaſterii Muratarum ad Pontem de le Gagliarde infra cerchias Civitatis Aretii, juxta baregnum Caſtri fluvii, & viam, quà itur ad Molendinum Fraternitatis S. Mariæ de Miſericordia*: quod quidem Monaſterium jubet Teſtator condi *ad honorem S. Trinitatis, & B. Margarite de Cortona*; quæ tamen obierat non am-

amplius quam novem ante annos; ſiquidem Teſtamentum hoc ſuum Nicolaus iſte condidit, ut ibi aſſeritur, anno 1306. S. vero Margaritam occubuiſſe anno 1297. manifeſtiſſimum eſt. *Sub n. vero 36.* in alia Membrana, anno ſcripta 1310. locum Monaſterio aſſignatum eſſe lego in *Porta S. Andreæ, & in Populo S. Juſtini* (en Eccleſia S. Juſtini, cujus mentionem a me hic factum iri promiſeram ſupra §.20.) Habentur item in eadem Membrana expreſſa nomina Sororum, quæ in novo hoc Cœnobio domicilium ſibi erant conſtituturæ ,, eæ autem ſunt Soror *Juſtina*, Soror
,, Lucia, Sor. Alluminata, Sor. Johanna, Sor. Bar-
,, tola, quæ quidem tunc temporis in quadam
,, cella degebant, eiſdem conceſſa a quodam
,, Magiſtro Benencaſa de Pergoleto juxta Mo-
,, naſterium Omnium Sanctorum, quod ibi tunc
,, extabat, ubi hodie parvulum Oratorium
,, S. Joſepho dicatum via Sacra eſt.

Iterum in alia Membrana ibi ſub numero 41. anno vero 1320. apparet, quod cum Sorores illæ in novum Monaſterium conveniſſent, Abbatiſſam ſibi conſtituerunt Sororem Luciam. Mirum videbitur fortaſſe, quod potius Sorori Juſtinæ, utpote omnium primæ, hujuſmodi dignitatem non detulerint; At ipſa, ut placet Bollandianis, immo ut in Hiſtoria legitur ejus Vitæ ab eiſdem allata, loco ſupra citato, jam obierat anno præcedenti, nempe die 12. Mar-

tij

tii 1319. annos nata duos & ſexaginta; quorum viginti capta oculis vixiſſe narratur.

Item ex membrana eadem addiſcimus „ quod „ poſtridie ejus diei, quo Soror Lucia præeſſe „ Sororibus juſſa eſt, Donnus Iohannes Mona- „ chus, & in Cathedrali Eccleſia Capellanus, „ auctoritate Guidonis Epiſcopi, electionem „ hujuſmodi ratam habet, & electæ Abbatiſ- „ ſæ, in muneris ſui ſignificationem, librum „ Regulæ S. Benedicti de manu in manum tra- „ dit, Veliſque nigris tum Abbatiſſæ ipſius, „ tum reliquarum Sororum Capita obnubit.

At ex alia membrana ibidem *ſub num.* 50. patet, quod novum hoc Monaſterium, quod eatenus a S. Maria de Ponte fuerat appellatum, jam cœperat etiam *a S. Juſtina* nuncupari, quæ ibi obierat quatuordecim ante annos. Membrana enim exarata eſt *anno* 1333. *in Eccleſia S. Mariæ de Ponte & S. Juſtinæ de dicto Ponte*. Quum deinde conſtet, Moniales prædictas, ante annum 1390. ab eo Monaſterio de Ponte ad aliud Cœnobium tranſmigraſſe extra Portam Cruciferam, quod S. Crucis vocabulo appellabatur; eo quod poſtmodo Cœnobium iſtud reperiatur anno 1392. *ibidem ſub num.* 78. vocatum *Monaſterium SS. Crucis & Juſtinæ*; juvat certo conjicere, Moniales de Ponte ſecum eo jam tranſtuliſſe Sanctæ hujus Virginis exuvias, quæ quidem tanto erat apud omnes in honore, ut quocum-

cumque incorruptum ejus corpus efferretur, ſtatim locus ille novum ab ipſamet ſortiretur vocabulum: Hæc mihi de S. Juſtina, ut tantæ Virgini aliquantulum, quod par erat, obſequerer, dicenda propoſui: Ipſam ſiquidem ea ſanctitatis fama fuiſſe conſtat ex dictis, ut vix vita functa, æque ac Cortonenſis Margarita, tamquam Sancta coli apud nos cœpta fuerit.

## §. XXVII.

### *De SS. Quorum Corpora Servantur per Loca Arretinæ Diœceſis, Quique eam, dum viverent, virtutibus ſuis inluſtrarunt.*

JAm vero Patriæ huic meæ & gratulor, & gaudeo, cui diviniaus datum eſt tot, tantorumque Parentem, & altricem eſſe Sanctorum; præcipue vero Cathedrali Arretinæ noſtræ jure optimo, meritoque congratulor, in qua tot jacent Martyrum Corpora, quibus nedum Civitas una, immo vero Regio longe licet lateque patens ſatis ſuperque dives exiſtimari, meo quidem judicio, poſſet. Hinc Angelus ille Perutius Sarſinatum Epiſcopus, & Apoſtolicus Inſpector, quem ſupra adlegavi §. 18. jure faſſus eſt, ſe inveniſſe in Arretina Cathedrali *magnum* revera *Sanctorum Theſaurum Arch. Epiſc. Arret. Viſit. Apoſt. Tom.* 1. *Pag.* 12. Quod ſi tandem placeat Urbe egredi, & per Diœceſis loca

divagari, tot Sanctorum Sepulcra, Arcæ, loculi ſeſe nobis offerent, ut ſi de ſingulis eſſet differendum, negotium ſane legentibus faceſſeretur. Prætereo itaque SS. Martyrum Corpora ex Sacris Romanorum ſepulcretis ad nos huc illuc muneri tranſmiſſa; Nullum enim fere eſt oppidum ex noſtris, quod hujuſmodi non habeat. At B. Taurellum, qui apud Monachos Vallis Umbroſæ in Monaſterio S. Fidelis de Puppio, principe Cluſentini oppido, ſub majori Eccleſiæ Ara quieſcit, præterire ſilentio nec poſſum quidem, nec debeo; ſiquidem & in eo Diœceſis noſtræ loco ſanctiſſimum Eremiticæ Vitæ genus profeſſus eſt; & ibidem corpore jacens ea perpeti populorum veneratione ad noſtra uſque tempora cultus eſt, ut noviſſime SS. Romanus Pontifex BENEDICTUS XIV. benigne indulſerit, ut ea in Eccleſia, in ſolemnem tanti Viri memoriam, Officium quotannis perſolvatur, & Miſſa legatur.

At quoniam in Cluſentinum devenimus, Sacram Camaldulenſem Eremum placet aliquantiſper inſcrutari, ſacraſque Alverni Montis latebras, loca duo tota Italia longe celeberrima. Ducem autem ſtatim ſe nobis offert in Camaldulenſium tumulorum inveſtigatione Monachus eruditiſſimus Thomas de Minis Florentinus, nobiſque Catalogum Sanctorum, & Beatorum ſui Ordinis exhibet, quem Typis edidit Florentiæ

anno

anno 1606. Eo igitur Magiſtro, & indice, S. Rodulphi Corpus primo detegimus inibi ſepultum ab uſque anno 1106. Remque addiſcimus prorſus ſingularem, ſcilicet, quod ipſe vix vita functus ab Arretino illius temporis Epiſcopo in SS. Eremitarum album relatus fuerit, inſtitutumque, ut ejus feſtum quotannis tota Arretina Diœceſi celebraretur; Qui tamen mos, forte quia minus legitimus, jamdiù obſoleviſſe credendus eſt; nulla enim rei apud nos extat memoria. Videas modo & aliud Sepulcrum ibi, atque lege.

*B. Leonardi Eremitæ recluſi Oſſa hic ſita ſunt &c.* Objit anno circiter 1250. Videas & aliud; utque iterum legas:

*Qui ſuperas eremi per duras, o homo, cautes*
*Hujus, & aſcendis devotus, vota daturus,*
*Hic tù ſiſte gradum, precibus de more peractis,*
*Erectiſque oculis pendentes cerne locellos,*
*Queis Eremita pius Peregrinus jure Beatus*
*Conditur &c.*

B. hic Peregtinus e vivis exceſſiſſe dicitur anno 1288. Scrutare iterum; invenieſque tumulum B. Simeonis, qui objit anno 1292.; tùm in ſepulcra offendes B. Petri Teutonici, B. Michaelis Florentini, B. Joannis Baptiſtæ Lucenſis, B. Laurentii de Stia, quorum ſinguli Carnis ſuæ ſarcinam in eadem Sacra Eremo depoſuere. Depoſuit & B. Gregorius Eremita Arre-

tinus ; & item Arretinus Mariottus , Ordinis Prior Generalis Perpetuus , cujus Corpus mirifice in corruptum Eremitæ adhuc exhibent inſpiciendum .

Verum ex Camaldulæ cautibus ad Alvernas rupes gradum faciamus : Statimque Reliquias erit inſpicere B. Mariani de Lugo , qui loci hujus incola , annos quindecim , vitæ ſuæ tempora ibidem ſanctiſſimè explevit anno 1495. Rurſus vide Reliquias B. Joannis Firmani , cognomento Vernicolæ ab diuturno Alverni Montis , quod ſibi conſtituit , domicilio . Mira ejus Vitæ Acta cuique integrum eſt legere apud Bollandianos Socios *tom. 2. Auguſti pag.* 453. Ibi item B. Conradi de Offida corpus ; oſſa item complurium Beatorum ex Sodalitio ipſo Sanctiſſimi P. Franciſci , dum adhuc viveret ; quæ in Sacello S. Sebaſtiani intra Tumbas habentur , ab anno uſque 1430. ut patet ex monumentis Sacræ illius Domus .

Quis itaque me incuſet , ſi Arretinæ Eccleſiæ faſtis ſingulos hos Beatiſſimos viros accenſeam ; Si quidem origine nonnulli, univerſi vero ſuis,& virtutibus , & Sepulcro eam inluſtrarunt ? Immo vero futurum arbitror neminem , qui me velit arguere , ſi Beatum ipſum Franciſcum , Minoritarum omnium Patrem , ad Arretinam Eccleſiam aliquo pacto pertinuiſſe prædicaro . Etenim Myſterium illud , quo nihil auguſtius in ejus vita ,

ta, in eodem Alverna Monte contigiſſe, nemo it inficias; Myſterium illud, inquam, quo in ejus Membris glorioſa Chriſti ſtigmata divinitus inuſta ſunt. Nullus item Eccleſiæ Arretinæ noſtræ Romualdum invideat, Camaldulenſis Congregationis clariſſimum Inſtitutorem: Si quidem hoc ipſum Inſtituti ſui Nomen Satis ſuperque, ſi cætera deſint, ipſum adlegit inter noſtros. At vero nihil omnino deeſt ad rei argumentum; ipſaquè Camaldulenſis Hiſtoria, Auguſtini Monachi ſtilo prorſus romano conſcripta, ſtat prorſus a nobis; proſtatque in ea Theodaldi Epiſcopi noſtri Bulla luculentiſſima, aliorumque item ex Præſulibus noſtris Privilegia, ex quibus maniſeſto apparet, quam ſuo jure egerint ipſi in Sacra illa Eremo; & quam demiſſe Romualdus, Sociique ejus voluntatem ſuam Arretino Antiſtiti tamquam Patrono detulerint.

At quoniam huc uſque progreſſus ſum, ut & Romualdum Camaldulenſem, & Franciſcum Aſſiſinatem, nulla ſuorum injuria, Arretinis faſtis accerſiverim; liceat & B. Bernardum Ptolemeum, Senenſibus non invitis, accerſere; quippe qui Olivetanæ Congregationis ſuæ in hac ipſa civitate noſtra fundamenta jecit; quod nemo negat, fatenturque ipſi Ordinis libri, qui Chronici appellantur; ubi hæc habentur.

*Venerabilis autem Pontifex Arretinus* ( Guido

a Petra mala Nuncupatus ) *per manus cujuſdam Religioſi Viri Joannis Monachi Camaldulenſis , Abbatiæ de Saxo , Arretinæ diœceſis , induit præfatos Patres* ( B. Scilicet Bernardum & Socios ) *puriſſimum & album habitum* .

Verum hac ſuper rè conſule ſcriptores Bollandianos in actis ipſius B. Bernardi *tom. 4. Auguſt. pag.* 473. , ubi item proſtat Bulla præſtantiſſima ipſius Guidonis Epiſcopi , ex Ughello , & Chronicis Olivetanis deſumpta , quam tamen neſcio quis ſe infirmare , & in dubium revocare poſſe , nuperrime autumavit . *Vidend. etiam in Archiv. Cathedr. Proceſ. E. pag. 16. t.*

Nolim tamen quiſquam opinetur , audiens à me in Arretinæ Eccleſiæ jus & Romualdum domo Ravennatem , & Aſſiſinatem Franciſcum , & Bernardum Senenſem fuiſſe advocatos , futurum , ut & alii etiam advocentur , qui aliquandiù inter noſtros verſati ſunt . Si etenim id liceret , liceret item Sanctis noſtris Auctarium facere ſatis grande . Si quidem nobiſcum verſati ſunt Eccleſiamque noſtram ſublimi doctrina exemplisque magnificis , atque adeo ſignis illuſtribus honeſtarunt S. Bernardinus Senenſis , Sanctuſque Philippus Benitius . Bernardini , adhuc extat , monumenti loco , Suggeſtum ligneum , ex quo Majoribus Noſtris concionatus eſſe narratur in loco , ubi hodie PP. degunt Carmelitæ , quos dicunt excalceatos . Videatur hac ſuper re

Eru-

Eruditiſſimi clariſſimique Viri Laurentii Guazzeſi Equitis ex Ordine Stephaniano Arretini, Cortonæ Prætoris, Diſſertatio IV. *De Via Caſſia*, quam uoviſſimè Typis edidit; & item Conſulatur Tabularium Civitatis Noſtræ *l.H.delib.p.55.*. In S. vero Philippi memoriam extat adhuc vetuſtum Mariæ Virginis Simulacrum, ante quod olim orans Fratribus ſuis annonæ caritate laborantibus ſuppetias divinitus impetraſſe fertur. At In Alverna Monte, Deus immortalis! quotnam & quanta præditi Sanctitate Viri ſunt immorati! Si loci monumentis habenda fides eſt, diù ibi degir ævum Seraphicus (ut dicunt) Bonaventura, ibique Opuſcula illa ſua compoſuiſſe fertur, quæ inſcripſit *Itinerarium mentis in Deum*, & *Itinerarium mentis in ſe ipſum*. Sanctus item Patavinus Antonius alterum ex libris ſermonum ibidem ſcribendum ſuſcepit; verum, quum, adventante bruma, indocilis Cæli temperiem præ corporis habitù ferre non poſſet, inde digreſſus, licèt invitus, alio conceſſit, in locum nempe nobis item finitimum vocabulo *Cerbajolo*.

Verum inter Sanctos Viros, alienigenas quidem, ſed tamen locorum noſtrorum accolas S. Petrus Damiani recenſendus ultimo certe loco non fuerat, ſiquidem de Eccleſia noſtra optime meritus; Immorans enim aliquando in vetuſtiſſimo Cœnobio SS. Abundii & Abundantii de

Cruce, (tali appellant vocabulo), quod non longe diſtat ab Urbe noſtra, ſermones, & hymnos, aliaque id genus elogia facundo illo calamo ſuo perſcripſit, quibus SS. noſtrorum Donati, & Hilariani, Laurentini, & Pergentini, Floræ, & Lucillæ nomina longe lateque propagata ſunt. Hinc Arretinis noſtris, meo quidem judicio, ſtudioſe opera danda eſſet, grati animi ergo, ut Sancti hujus Scriptoris cultus hac in Eccleſia ex Apoſtolica Indulgentia excitaretur; quod curatum eſt non multis ab hinc annis, memoria noſtra, erga B. Bernardum Ptolemeum; cui ſolemne perſolvitur a nobis Officium quotannis die Auguſti viceſima prima.

At ego, ut ajebam, licet aliquo jure poſſim, nolo tamen Sanctos hujuſmodi quaſi noſtros adlegere; iis tantum contentus, quorum exuviis Eccleſia noſtra dives eſt.

## §. XXVIII.

*De SS. Abundio & Abundantio Martyribus.*

VErum quoniam paulo ante venimus in eum ſermonem, ut SS. Abundium, & Abundantium nominaremus, detur mihi venia, ut iterum ad Martyres ſermonem meum convertam; & ex ignobili prorſus loco, ſituque horrido Sanctorum horum Corpora in lucem quaſi proferam. Immo vero, ea proferam ex Actibus Viſitationum hodie Eminentiſſimi ac Reverendiſſimi

diſſimi Cardinalis Guadagni olim Epiſcopi noſtri *Arch. Epiſc. Atti della Viſita del Vicariato di Caſtiglione dell' anno* 1728. *pag.*7. ubi ſic.

„ 1728. die Octava Junii.
„ Illuſtriſſimus ac Reverendiſs. Dominus &c.
„ JOANNES ANTONIUS GUADAGNI ORDINIS
„ Carmelit.Diſcalc. Dei, Sanctæque Apoſtolicæ
„ Sedis gratia Epiſcopus Arretinus, Pontificii
„ ſolii Aſſiſtens, Sac. Rom. Imperii Princeps in
„ Etruria, & Ceſæ Comes. Intermiſſam proſe-
„ quendo viſitationem Eccleſiarum ſitarum in-
„ tra limites Vicariatus Caſtilionis &c. ſe con-
„ tulit ad Eccleſiam Abbatialem SS. Abundii,
„ & Abundantii nuncupatam de Cruce; cujus
„ nunc eſt Abbas Commendatarius Illuſtriſs. ac
„ Reverendiſs. Dominus Scipio de Riccis Flo-
„ rent.: Ibique conſueta defunctorum abſolu-
„ tione peracta, & viſitatione unici Altaris,
„ recens a præfato Illuſtriſſimo Præſule mo-
„ derno Abbate reſtaurati; cum ex Actis præ-
„ cedentium viſitationum, & ex aliquibus re-
„ gionis ſenioribus comperiſſet aſſervari ſub
„ Altari Reliquias quaſdam prædictorum San-
„ ctorum Martyrum, præcepit amoveri fron-
„ tale. Quo facto in medio ex anteriori par-
„ te viſus eſt lapis exhibens Leonem ſtantem
„ cum faſcia, ut vulgo dicitur *Sbarrato*. Pro-
„ pe lapidem erat ligneum Oſtiolum clavi ob-
ſera-

„ ſeratum . Cumque Rector Parochialis Eccle-
„ ſiæ S. Egidii de Uſciano , aliique adſtantes ex
„ Populo rogati , penes quem ſervaretur clavis,
„ reſpondiſſent , nullam ejus rei apud eos haberi
„ notitiam , nec a quopiam ipſorum viſum um-
„ quam fuiſſe referatum illud Oſtiolum; Illuſtriſ-
„ ſimus Dominus juſſit adacto ſcalpro aperiri ;
„ & inde perluſtrans in cavo aſſeribus quernis
„ circumtexto , latitudinis circiter unius bra-
„ chii , & longitudinis brachii unius cum ter-
„ tio , duas deprehendit Arculas coopertas , ſu-
„ pra quarum primam erat patina lignea , tere-
„ dine perforata cum Calvaria . Patina & Cal-
„ varia extractis , tentavit educere primam ex
„ Arculis , ſed conatù propter illius longitudi-
„ nem irrito . Quare juſſit deiici prædictum la-
„ pidem ; & tunc eduxit Arculam ligneam lon-
„ gitudinis trium circiter quadrantum brachii ,
„ latitudinis vero palmaris, tectam plumbo cum
„ ſuo operimento ; quo ſublato coram Reve-
„ rendiſſimo Domino Canonico Joſepho Alber-
„ gotti Conviſitatore , & pluribus Sacerdoti-
„ bus , & laicis , invenit in ſuperficie laminam
„ plumbeam cum hac inſcriptione .

„ *Reliquiæ SS. Abundii , & Abundantii Marty-*
„ *rum tempore Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Do-*
„ *mini Franciſci de Niccolinis Abbatis hic decentius*
„ *quam prius reconditæ fuere anno Domini 1617.*

„ Sub lamina erat Tibiæ pars longa quinque
„ digi-

„ digitos circiter, cum nonnullis minutis oſſeis
„ fragmentis, & aliquo etiam vitreo. Quibus
„ omnibus attente obſervatis, juſſit Arculam
„ vitta ſerica circum-ligari, & proprio ſigillo
„ muniri. Cum deinde ventum eſſet ad extra-
„ ctionem alterius Arculæ pariter ligneæ obdu-
„ ctæ lamina cuprea, varie delineata, longitudi-
„ nis trium circiter brachii quadrantum, latitu-
„ dinis vero duorum, elevato ejus conſimili
„ operculo, apparuit Arcula plena Oſſibus di-
„ verſæ longitudinis, & craſſitudinis cum pan-
„ no in altera extremitate valde lacero, & ſitù
„ corrupto coloris majori ex parte ſubrubei,
„ & partim albi, immixto aliquibus fruſtis ex
„ ſerico, lineolis viridibus, & albis intertexto.
„ In medio oſſium erat Capſella paulo infra pal-
„ mum longa, & trium digitorum latitudinis ex
„ ligno ſolido, cujus operculo ex ſuis canali-
„ bus educto, patuerunt tria oſſea fragmenta
„ aliquantulum tenuja; & alia conſimilis minor
„ Capſella, ſed ſine operimento (pars cujus
„ conſumpta teredine inter oſſa fuit obſervata)
„ continens duo ſimilia oſſium fragmenta. In-
„ ter oſſa majora duo numiſmata ex mixtura
„ circumferentiæ nummi argentei, immo &
„ majoris, reperta ſunt cum effigie S. cujuſdam
„ Epiſcopi, prout apparet; & quibuſdam in gy-
„ ro characteribus, quorum ſignificatio cum de-
„ prehendi non potuiſſet, cenſuit Illuſtriſſimus

„ ac

„ ac Reverendiſſimus Dominus reponenda eſſe
„ cum Reliquiis in Arcula, quam iterum clau-
„ ſam, & ſuo ſigillo obfirmatam, ſicuti præ-
„ cedentem, præcepit priore in loco colloca-
„ ri, ſuperimpoſita, ut antea lignea Patina,
„ cum Calvaria &c. Ad hoc Altare Abbas pro
„ tempore tenetur die 26. Auguſti quotannis
„ ſolemnizare Feſtum SS. Abundii & Abundan-
„ tii cum miſſis duodecim, computata cantata,
„ & adimpletur. Altaris & Reliquiarum viſi-
„ tatione ſic abſoluta, perrexit Illuſtriſſimus
„ & Reverendiſſimus Dominus ad viſitandam
„ Tumbam, ſeù Confeſſionem ſubterraneam ſa-
„ tis amplam; cujus fornix ſeù teſtudo inniti-
„ tur binis magnis columnis in medio aſſurgen-
„ tibus. In capite Tumbæ menſam Altaris vi-
„ dit, quod creditur interdictum, & ſuper eam
„ Arcam pervetuſtam clauſam, & obſcratam
„ longitudinis duorum brachiorum cum dimi-
„ dio; latitudinis vero duarum tertiarum par-
„ tium. Interrogatis adſtantibus, an, ubi aſ-
„ ſervaretur clavis, reſcirent, & nullam ejus
„ notitiam ſe habere reſpondentibus, per vim
„ aperiri juſſit, neque aliud intus inventum
„ fuit, præter parva quædam vitrea fragmenta;
„ quibus ibi relictis, præcepit Arcam denuo oc-
„ cludi meliori modo, quo poterat, non ob-
„ ſcure conjiciens tam ex prædictis fragmentis,
„ quam ex monumentis viſitationis Apoſtolicæ
„ in hac

„ in hac Diœceſi de mandato Gregorii XIII.
„ fel. rec. facta anno 1583. ab Illuſtriſſimo &
„ Reverendiſſimo Domino Angelo Peruzzi Epi-
„ ſcopo Sarſinatenſi, in hac Arca fuiſſe antiqui-
„ tus parum decenter collata Oſſa, quæ nunc
„ conſpiciuntur in majori Arcula ſub Altare
„ prædicto Eccleſiæ poſita. In vaſis vero vitreis
„ Reliquias SS. MM. Abundii & Abundantii,
„ quæ nunc, opera Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſi-
„ mi Domini Franciſci Niccolini anno 1617.
„ aſſervantur in minore Capſella.

„ Monumentum quod in Actis Viſitationis
„ Apoſtolicæ legitur, eſt hujuſmodi.

*Habetur quidam locus ſubterraneus, in quo habentur tria Altaria; in quorum uno habetur Capſula, cum alia Capſa & duobus Tabernaculis Vitreis, in quibus habentur Reliquiæ ipſorum SS. Abundii & Abundantii: Sed cum ipſe locus ſit indecens, ubi retinentur dictæ Reliquiæ; ordinavit provideri de Tabernaculo decenti, & intus panno aliquo ſerico contecto, & foris bene picto, ſuper ipſum Altare collocando, in quo dictæ Reliquiæ recondantur; & ordinavit Altare ipſum ornari ornamentis ſuis neceſſariis, juxta formam decretorum; & locum ipſum de novo incruſtari, dealbari, & pavimentari; cœtera vero Altaria inornata. & indecentia, imo indecentiſſima demolirl &c. &c.* „ Hujuſmodi Eccle-
„ ſia, ut quam plurima veteris hiſtoriæ monu-
„ menta teſtantur, fuit inſigne Cœnobium Mo-
„ nacho-

„ nachorum *dell'Avellana* nuncupatorum, ubi
„ quamplures Monachi, & præcipue S. Petrus
„ Damianus, dum viveret, cum ſama, & opi-
„ nione ſanctitatis Angelicam vitam ducebant.

*Brevis Animadverſio in hujuſmodi documentum.*

Suſpicor, utrum ſingulæ hæ Reliquiæ in duabus Arculis ſervatæ ſint habendæ pro Reliquiis SS. Abundii, & Abundantii, an eæ tantùm, quæ in prima ex duabus continentur, admodum paucæ. Quum enim ex Animadverſionibus Baronianis in Martirologium Romanum, ad diem 16. Septembris, conſtet, corpora SS. MM. Romanorum Abundii, & Abundantii ex Diaconia SS. Coſmæ, & Damiani anno 1583. in Baſilicam Farneſianam Patrum Soc. Jeſu fuiſſe tranſlata; non video, quid potuerit Romæ tunc temporis ſuperfuiſſe ex SS. hiſce Corporibus, ſi tanta ab antiquiſſimis jam ante temporibus pars hujuſmodi Reliquiarum culta fuiſſet apud Monachos noſtros. Quid vero eſt Calvaria illa cum patina ſupra, & extra Capſam primam? Cur Epigraphe SS. Abundii, & Abundantii nominibus inſignita intra Arcam primam, non item & intra ſecundam? Quid ſibi velle cenſemus intra hanc duo illa numiſmata, S. Epiſcopi cujuſdam imagine ſignata? Ego vero arbitror, Reliquias alterius hujus Arcæ, quæ quidem plurimæ eſſe nar-

narrantur, partes eſſe corporis, vel corporum aliquorum ex Martyribus noſtris. Forte etiam SS. hi duo Martyres Abundius, & Abundantius alii ſunt a Martyribus Romanis, & noſtrates ſunt. Romani illi Martyres, (animadvertas amabo), Romæ coluntur die 16. Septembris; noſtri vero eodem quidem Menſe, ſed die ſexta & viceſima. Verum quid id ſit, Deus novit.

## §. XXIX.

*De nonnullis Sanctis modò alienigenis, olim aliquo jure noſtris.*

HIC demum mihi, quæſo non iraſcantur Cives Urbium nobis finitimarum, Cortonenſis præcipuè, Politianæ, Pientinæ, ſi in ſocietatem ſuarum laudum Eccleſia hæc Arretina, quantum modo licet, ſe ſe offerre videatur: Si quidem ſicuti Aviæ filios ſuos libenter eos appellant, qui ex earum filiis, filiabuſve ſint geniti; nec ideo incuſantur, quaſi veris parentibus ereptos attribuant ſibi; ita Eccleſia noſtra, quoſcumque antiquitus Urbes illæ Viros aut Feminas Sanctitate celebres aluerunt, poterit, nulla injuria, ſuos etiam ipſa aliquo pacto vocare: quæ enim modo Civitates ſunt, tunc temporis, cum ii vitam viverent, Arretinæ hujus diœceſis erant oppida. Patet id primum de Cortona Urbe Nobiliſſima ex Bulla Johannis PP. XXII, quæ incipit *Vigilis ſpeculatoris* ( *Arch. Cathed. Arret.*

*Arret. Proceſſ. E. pag.* 38., Dataque eſt Avenione anno 1325. In ea ſummus ille Pontifex Romanus ,, Terram ( ut ibi dicitur ) Cortonæ, ab
,, omni juriſdictione Eccleſiæ Arretinæ eximit,
,, & in Civitatem erigit, Civitatiſque vocabu-
,, lo inſignit: Eccleſiamque S. Vincentii, tunc
,, temporis Aretino Monaſterio S. Floræ Ordi-
,, nis S. Benedicti pleno jure ſubjectam, ad Cat-
,, hedralis dignitatem evehit &c ,,. Quæ tamen Dignitas, anno deinde 1507., Jubente Julio PP. II., ad Eccleſiam B. Mariæ, vetuſtam Cortonæ Plebem Archipresbytero, & Canonicis jam pridem inſignitam, tranſlata eſt, ubi & nunc Epiſcopus reſidet. Habentur in Archivo Cath. Arret. hujuſmodi Plebis monumenta uſque ab Sæculo XI.

Patiatur ergo Civitas Cortonenſis Illuſtriſſima, ut S. Margaritæ ſuæ grande nomen, & toto jam orbe celeberrimum, in noſtrum nos quoque jus revocemus, quin ipſimet ne minimum quidem detrahamus; Si quidem ante hujus Bullæ juſſionem Margarita obierat, anno ſcilicet 1297., Arretinam Cathedram obtinente Epiſcopo Ildibrandino; qui ſeptem ante annos ad Sanctiſſimam ipſam Fæminam Diploma hujuſmodi tranſmiſit, quod ex eodem Archivo Cathedr. Arret *Proceſ. E. pag.* 232.*t.* diligenter exſcripſi, per hæc verba.

ILDIBRANDINUS *miſeratione divina Epiſcopus Are-*

*Aretinus. Dilectæ in Chriſto Religioſæ mulieri Sorori Margaritæ de Cortona Salutem in Domino ſempiternam. Laudabilis famæ tuæ ſonus odorifer ad audientiam noſtram laudabiliter confluens Nos inducit, ut devotionis tuæ votivis affectibus circa divini cultus proſecutionem, quam appetis efficaciter annuamus. Sane pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ædificandi de novo, & conſtruendi Eccleſiam perpetuam infra muros Cortonæ in Podio; videlicet ſupra Eccleſiam de Mariano, cum Sacerdote, qui in ipſa Eccleſia Divina celebrando officia, perpetuo glorificet nomen ejus; campana congruis horis & debitis pulſanda, nec non cum cimiterio, in quo ibidem Corpora Deo famulantium tumulentur dumtaxat, tibi licentiam & facultatem concedere de ſpeciali gratia dignaremur. Quæ quidem Eccleſia S. S. Baſilii & Egidii Confeſſorum, & B. Catharinæ Virginis & Mart. in quorum reverentiam & honorem Te principaliter aſſeris velle illam conſtrui, nomine ſit proprio nuncupanda. Nos itaque caritativæ contemplationis affectù honeſtis tuis ſupplicationibus inclinati, ut quanto propter Dei reverentiam, cui ſervis, conceptionis tuæ puritas efficacius ſit deſiderato in hac parte affulta præſidio, tanto circa Divinæ caritatis obſequia dirigas ardentius mentem tuam; tibi tenore præſentium licentiam & facultatem liberam concedimus poſtulatam: omnibus & ſingulis juribus & juriſdictionibus in ipſa Eccleſia circa ſpiritualia nobis & Eccleſiæ Arretinæ, ac Archi-*

 *presbi-*

*preſbitero,& Plebi Cortonæ ſpetialiter & generaliter competentibus quaquomodo integre ſemper ſalvis, quibus per hanc Indulgentiam noſtram nolumus, nec intendimus in aliquo derogari. Et quia eandem Eccleſiam volumus proſequi ſpeciali favore benignitatis Paternæ, conſequendi gaudia æternæ promotionis cauſam dare Fidelibus cupientes, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad ipſam Eccleſiam in Feſto dictorum Sanctorum, & ſeptem diebus poſt illud, immediate ſequentibus, cauſa devotionis, acceſſerint, annuatim de Omnipotentis Dei miſericordia ac* B. DONATI PATRONI NOSTRI, *& dictorum Sanctorum auctoritate confiſi* XXXX *dies de injuncta eis Pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. Civitellæ 6. Kal. Septembris. Indict. 3. ſub anno* 1290. *Pontific. Dni Nicolai PP. IV. anno* 3.

Ex hac Epiſcopali Bulla facile quiſque noverit, quam non injuria Arretina iſthæc Eccleſia Faſtis Sanctorum Suorum Sanctam Cortonenſem Margaritam adſcribat. Quo eodem jure Sanctam etiam Virginem Agnetem de Monte Politiano, Dominicani Ordinis inſigne Decus, ſibi pariter adſciſcit, quin tamen Politianis Civibus tantillum auferat gloriæ. Si quidem Acta ipſa vitæ ejus, B. Raimundi de Capua calamo ſcripta, & ab Bollandianis allata *t.* 2. *Aprilis p.*792 Epiſcopum Arretinum diæceſanum appellant Montis Politiani, ubi S. Virgo degebat, & ubi è vivis deceſſit anno 1317. ſub Guidone Tarlato

Epi-

Epiſcopo noſtro Celeberrimo, Mons vero Politianus non quidem ante annum 1480 ab Arretini Antiſtitis jure detractus fuit, ut conſtat ex Bulla ſixti PP. IV. quæ incipit: *Exigunt Grata*; qua quidem Bulla ſummus Pontifex gratificaturus, atque remuneraturus Fabianum *Archipresbiterum Eccleſiæ S. Mariæ* ( ut ibi legitur ) *Terræ montis Politiani Arret. Diœceſis*, Decretorum Doctorem, & Notarium ſuum, quem item Clericum Apoſtolicæ Cameræ, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum Canonicum, & ſuis, Prædeceſſorumque ſuorum Romanorum Pontificum ſervitiis addictum, Plebem prædictam S. Mariæ Montis Politiani, ejuſque Archipresbiterum & Canonicos a dominio eximit Epiſcopi Aretini, indulgetque, ut Archipresbiter ejuſdem Plebis pro tempore exiſtens mitra utatur & baculo tota Terra prædicta; Canonicos, & Clerum ejuſdem oppidi eidem Archipresbitero; ipſum verò Apoſtolicæ ſubdens Sedi; addita tamen conditione, ut Chriſma, & Oleum Sanctum ſit ab Arretino Epiſcopo recepturus. *Arch. Capit. Arret. Proceſ. E. pag.* 44. *t.* . Quod ipſum onus tandem prorſus excuſſum eſt anno 1561, uti apparet ex Bulla Pii PP. item IV., cujus initium *Eccleſiarum Utilitati ibid. pag.* 47., Data apud S. Petrum anno prædicto 4. Idus Novembr. „In „ eaq. Pontifex declarat, Montis Politiani, ea „ ipſa die a sè Civitatis Vocabulo inſigniti, Ec-

„ cleſiam ad Cathedralis faſtigium ſeſe exiſ-
„ ſe; eamque ſic evectam tradere modo admi-
„ niſtrandam Johanni Cardinali de Riccis &c „.
Numquid ergo injuriam Politianis inferimus in Sanctorum noſtrorum Album referentes Agnetem, quæ & Guillelmo, & Ildibrandino, & Guidoni Arretinis Epiſcopis tamquam ſuis Prælatis paruit, & ab eorum altero Sacrum Virginitatis Velum recepit; eoque præſente, mirum illud accidit, quod in ejuſdem Virginis vita legitur, nimirum ut & Templi pavimentum, & homines, qui aderant frequentiſſimi, ipſamque Virginem, dum dedicaretur, ros quidam reſperſerit divinitus undique fluens? *Acta ipſius Vitæ, & Breviar. Rom.*

Demum neque Pientini Cives nobis ſuccenſere debent, qui Beatam eorum Bonizzellam viduam Piccolomineam nobiſmetipſis arrogemus, ſic tamen, ut eorum quoque ſit juris. Etenim præterquam quod illa tali patre orta eſt, cujus gens Civitatis noſtræ legibus uteretur, cujuſmodi erant *Cacciacontes Domini*, ut dicebantur; *de Palazzuolo*, qui locus eſt noſtris adhuc hiſce temporibus intrà Arretinæ diocæſis fines; & quorum hominum nomina paſſim occurrunt in publicis noſtræ Urbis Libris vetuſtis, qui inſcribuntur *Eſtrazioni*, & in quibus nomina notabantur eorum, qni ad publica exequenda munia ſorte ducebantur; præter hæc, inquam, locus

ipſemet

ipſemet etiam, ubi modo corpore ipſa quieſcit, nimirum Plebs de Terquanda Pientinæ nunc diœceſis, Arretinæ hujus noſtræ olim fuit, cum fæmina Sanctiſſima illa duceret ævum. Quod de more, ( ne quid ad arbitrium a me dictum eſſe videatur, ) inconcuſſis Antiquitatis monumentis fulciam, ipſaque nullo negotio ex Archivo Cathedralis noſtræ eruam : & primum *ſub num. 654.* Acta quædam Guillelmi Epiſcopi, & Capituli Arretini, ex quibus apparet. Quomodo „ Canonici Plebis de Terquanda an-„ no 1257., una cum aliis Rectoribus & Cano-„ nicis Ruralium Plebium, retulerint ſuorum „ Beneficiorum cenſum ad Guillelmum Epiſcopum Aretinum, ea loca Paſtorali munere inviſentem ; qui quidem *tranſiens* eodem anno *per Caſtrum Montis Alcini*, *ſolemniter*, ( ut ibi dicitur) *ſignat Maſculos & feminas dicti Caſtri; & deinde chriſmat in Eccleſia S. Angeli de Caſtelvekio, & in domo Fratrum Minorum, in Monte Alcino ſitis; viſitatque Plebem Sanctæ Reſtitutæ diſtrictus Montis Alcini, ejuſq. Plebis Canonicum rite electum confirmat : Item eodem anno celebrans in Plebe Montis Politiani ordinat Acholytum, & exorciſtam Ranucium Archipresbiterum Plebis Montis Alcini, & Joannellum dictæ Plebis Canonicum*. Anno vero 1264. *In Arch. eod. num. 620.* poſt narrata acta quædam ( ut ibi legitur ) „ *Ranerii Dei gratia*

„ *Præpoſiti Aretini*, *& Canonicorum Cathedralis* „ *Eccleſiæ Aretinæ atq. Aretinæ Plebis eidem unita*, occurrit Plebanus memoratæ Plebis de „ Terquanda, una cum Plebano Corſignani, „ aliiſque bene multis, quorum ſinguli eidem „ Arretino Præpoſito obedientiam præſtant, „ tamquam *Rectores Eccleſiarum Manualium Canonicæ Aretinæ* „.

Quomodo vero Caſtrum Corſiniani, mutato nomine, Urbs evaſerit; una cnm Monte Ilcino (qui tamen multo ante Arretino Epiſcopo parere deſierat) habemus ex Bulla Pii PP. II. *Arch. Cath. Arret. Proceſ. E. pag.* 41., cujus initium. *Pro excellenti*, data Romæ apud S. Petrum anno 1462.; Qua quidem Bulla „ Pius Terras corſiniani Arretinæ diœceſis, & Montis Ilcini, „ tum *Diœceſis*, ut ibi aſſeritur, *Nullius*, in „ Civitates, & Epiſcopatus erigit; oppidum„ que Corſignani in poſterum non quidem Cor„ ſignanum, ſed, in memoriam Pontificalis „ Nominis ſui, edicit, ut Pientina Civitas ab „ omnibus appelletur &c „. Jure ergo, ni fallor, maximo, B. Bonizella de Terquanda in Faſtis Arretinorum Sanctorum locum habet; Quod ipſum fateri quodammodo videtur Illuſtiſſimus. & omnigena litteratura longe preſtantiſſimus Epiſcopus, qui Pientinam ipſam Eccleſiam hodie Sanctiſſime adminiſtrat Franciſcus Maria Piccolo-

colomineus, epiſtola quadam ſua ad Arretinæ Cathedralis Canonicos *Archiv. eorumd. Filza* 4. quam exſcriptam proferre in lucem Operæ pretium eſſe arbitratus ſum. Eſt autem hujuſmodi.

Illmi e Rmi Sig. Sig. Pñi Colmi.

La ſomma Pietà è liberalità di Monſig. Incontri, digniſſimo Paſtore di coteſta coſpicua e inſigne Chieſa, che per contribuire al maggior culto della B. Bonizzella Cacciaconti, ſi è degnato prender ſopra di sè i miei doveri, mi hà anco apportato il vantaggio, e l'onore di ricevere i pregiatiſſimi caratteri delle Signorie Loro Illuſtriſſime, perchè ſi ſono compiaciute, ſecondare gl'impulſi di devozione del loro Prelato verſo la Santa Serva di Dio, *il di cui Sacro Corpo ſi venera in quella Parte della mia dioceſi, che fu derivata, e ſmembrata dall' Aretina*. Pellochè rendo alle Signorie Loro Illuſtriſſime Umiliſſime e cordiali grazie pell'aumento di culto, che riceverà la *B. Bonizella* in coteſta da per tutto rinomata Cattedrale: E tanto maggiormente le ringrazio pegli onori compartitimi nel loro corteſiſſimo foglio, quanto meno meritavo i loro favori. Prego le Signorie Loro Illuſtriſſime a benignamente accogliere queſti miei oſſequioſi ringraziamenti. E col vivo deſiderio di conteſtarne alle Signorie Loro Illuſtriſſime la ſincerità

co' fatti, e coll' eſecuzione de' loro ſtimatiſſimi Comandamenti, devotamente mi dico.

Delle SS. LL. Illme e Rme

Pienza 11. Novèmbre 1751

SS. Dignità, e Canonici
della Cattedrale di (Arezzo)

Dev. Obbl. Servit.

F.M. Veſcovo di Pienza.

Sciendum præterea, Epiſcopi iſtius digniſſimi munere auctum hodie eſſe Adytum majoris noſtri Templi ejuſdem B. Bonizzellæ noſtræ ſacris Reliquiis.

Quiſque proinde intelligit, nos tali pacto poſſe, ſine harum urbium injuria, Eccleſiæ Arretinæ noſtræ optimo jure atrribuere, quotquot Urbes ædem Sanctos Cives ſuos venerantur, modo ex primoribus illis ſint, qui vitam vixerint ævo illo, quo Patria eorum Loca Arretinorum ſacris communicabant: quos quidem hic recenſere, quum nominum ignoratione nequeam, finem dicendi facio. Utinam unum hunc laboris mei fructum percipiam, ut, ad quorum augendam gloriam pauca hæc collegi, & rudi quidem, ſed germano ſtylo exarari, eorum laudibus audiam aliquando templa noſtra Sacerdotum voce perſonare; eorum, inquam, quorum nomen ex Arretinis Faſtis longa nimium ætas obliteravit.

Pro

Pro coronide tandem Opellæ huius meæ placet hic ſeriem attexere ipſorum Sanctorum, quorum . meminimus ſinguloſque uno quaſi loco collectos ex litaniis Trombellanis, aliiſque inconcuſſis monumentis, quæ per Diſſertationis Capita ſparſa paſſim ſunt atque diſſeminata, legentium oculis rurſus ſubjicere, capitaque ipſa ſimul indicare, ubi de ipſis ſermo, ſeu mentro aliqua habetur.

Digitized by Google

§. XXX.

# ELENCHOS

*Sanctorum Arretinorum, aliorumque ad Arretinam Eccleſiam aliquo jure ſpectantium.*

S. Stephanus Protomartyr, Arretii Pa- )
tronus. )
S. Donatus Epiſcopus, & Martyr item ) §. 2. 3. 4.
Patronus. )
S. Marcellus Martyr. )
f. Caſsia S. Capſia ejus Filia. )
SS. XII. Martyres. ) Arretini ſinguli §. 7. 22.
SS. LIV. Martyres. )
S. Hilarianus Martyr alter ex Patronis. ) §. 8. 9.
S. Plautilla. )
S. Domitilla. ) §. 18.
S. Flavius Clemens Arretinus. )
Satyrus S. Sathirus Epiſcopus & Martyr Arret. ) §. 10.
S. Anthimus Martyr Arretin. ) §. 11.
S. Fortunatus Martyr. )
S. Fortunatus alter Mart. )
Emerentianus S. Merentianus Martyr. )
Macarius S. Macharius Martyr. ) Arret. ſinguli. §. 12.
Deiphobus S Delphæbus Martyr. )
S. Femineus Martyr. )
S. Fimineus Martyr. )
S. Aſterius Martyr. )
S. Lucillus Martyr. ) Arretini ſinguli. §. 13.
S. Juſtus Martyr. )

S. Her-

Digitized by Google

 Ἑρμηνῦος

S. Hermenius Martyr. )
S. Jacobus Cognomento Interciſus, ) ſ. 13.
cujus Brachium Arretii. )
S. Nabbo ſive Nabor Mart. ) Arretini. ſ. 14.
S. Albinus Martyr. )
S. Laurentinus Protomartyr Arretinus. ) ſ. 15.
S. Pergentinus Protomartyr alter Arr. )
S. Anſanus M. paſſus in Diœc. Arretina. ) ſ. 16.
S. Auguſtinus Eremita Martyr. )
S. Marcellinus, ſeù Marcellia- ) Arret. ſ. 17.
nus Martyr. )
S. Nazarius Martyr. )
S. Timotheus Martyr. ) Arretini. ſ. 18.
S. Nicoſtratus Martyr. )
S. Flora. )
S. Lucilla. ) MM. quorum Corpora ſ. 19.
S. Eugenius Rex.) Aretii.
S. Leo Martyr. )
S. Gaudentius Epiſc. & Mart. )
S. Columatus Diaconus Mart. )
S. Gelaſius Epiſc. & Martyr. )
S. Severinus Epiſc. & Martyr. ) Aretini. ſ. 22.
S. Decentius Epiſc. & Mart. )
S. Florentius Epiſc. & Mart. )
S. Domitianus Epiſc. & Mart. )
S. Savinus Martyr. )
S. Andreas Martyr. )
SS. CIƆCIƆƆDXCVII. Martyres. ) Arret. ſ. 7. 22.
S. Aneſtaſius Martyr. ) Anastasius

S. Ba-

Demosthenes / f. Basilius seu Basilius / Hilarus / Συράμνα

S. Deomoſtodes Martyr. ) ſ. 7. 22.
S. Bacilius Martyr. )
S. Antilia Virgo & Martyr. ) ſ. 23.
S. Pergentia ſeu Pergentina V. & M. )
S. Cornelius Sacerdos, & Martyr. ) Arr. ſ. 24.
S. Firmina Virgo & Martyr. )
S. Hilarius ſeù Illarus Martyr Arret. ) ſ. 25.
S. Marcus Martyr cujus Corpus Arretii. )
S. Maximus Mart. cujus Corpus Arretii. ) ſ. 25.
S. Hyginus Martyr. )
B. Benedictus Confeſ. Arret. Diſcipulus ) ſ. 26.
S. Franciſci. )
B. Nicolaus Confeſs. Arret. ex Ordine )
Servorum. )
B. Rainerius Eremita Arretinus. ) ſ. 26.
B. Philippa Virgo Arretina. )
B. Syramna Arretina. )
B. Michael Abbas Generalis Valliſumbroſæ Arret. )
B. Gregorius PP. X. cujus Corpus Arretii. )
S. Romanus cujus Brachium Arretii. ) ſ. 26.
B. Juſtina Virgo Arretina. ) ſ. 27.
B. Taurellus Confeſſor cujus Corpus in Diœceſi. )
B. Rodulphus Eremita, cujus Corpus Camaldulæ. )
B. Leonardus Eremita cujus Corpus ibid. )
B. Peregrinus Eremita cujus Corpus ibidem. ) ſ. 27.

B. Pe-

B. Petrus Eremita Camald.. cujus Cor- ) ſ.27.
pus ibidem . )
B. Michael Eremita cujus Corpus ibid. )
B. Joannes Baptiſta Eremita cujus Cor- )
pus ibidem . )
B.Laurentius Eremita cujus Corpus ibi- )
dem . )
B.Gregorius Eremita Arret. cnjus Cor- )
pus ibidem . )
B.Mariottus Arret. Eremita cujus Cor- )
pus ibidem . )
B. Marianus de Lugo cujùs Corpus in ) Luco
Monte Alvernæ . )
B. Joannes Firmanus cujus Corpus ibi- )
dem . ) ſ. 27.
B.Conradus de Offida cujus Corpus ibi- )
dem . )
S. Franciſcus Chriſti Stigmatibus inſi- )
gnitus in Monte Alvernæ . )
S. Romualdus Camaldul. Congreg. In- )
ſtitutor in Diœceſi . )
B. Bernardus Olivet. Congreg. Inſtitu- )
tor Arretii . )
S. Bernardinus Senenſis Accola Arretii . )
S. Philippus Benitius Accola Arretii . )
S. Bonaventura Seraphicus Doctor , )
Vernicola , ſcilicet Alverni Montis )
Accola . )
S. Antonius Patavinus item Vernicola . ) ſ. 27.

S. Abun-

| | | |
|---|---|---|
| S. Abundius Martyr. | ) quorum Corpo- | ſ. 28. |
| S. Abundantius Mart. | ) ra apud nos. | |
| S. Agnes Virgo Politiana olim Diœceſ. Arret. | ) | ſ. 29. |
| B. Bonizzella Vidua Pientina olim Diœceſ. Arret. | ) | |
| SS. XL. Martyres Arret. | ) | ſ. 18. |
| SS. CCCC. Martyres Arret. | ) | ſ. 24. |

Subducito modo, ſi placet, ſummam Sanctorum.

| | |
|---|---|
| Habes primum nominatim recenſitos | 90. |
| Habes præterea | 12. |
| Tum | 54. |
| Rurſus | 2597. |
| Deinde | 40. |
| Demum | 400. |
| | 3193. |

Habes itaque Sanctos vel Arretinos, vel Arret. juris, quibus Etruria reliqua, ſi nullos haberet, (habet autem plurimos), ſatis poſſet, ſuperque ditari. Ego vero ad majorem eorumdem SS. gloriam hæc differebam.

Digitized by Google

# MENDORUM CASTIGATIO

## SUIS LOCIS OMNINO CONSULENDA

| | | | |
|---|---|---|---|
| Pag. 4. | lin. 6. | *voluiſti* | *ſiviſti* |
| | 24. | *invideat* | *ſucceuſeat* |
| 6. | 3. | *largitis* | *impertitis* |
| 9. | 20. | pubblici | publici |
| | 22. | *Volumen.* | *volumine* |
| | 22. | *edition.* | *edito* |
| 10. | 13. | evadere | eradere |
| | 20. | Arretinorum | Arretinum |
| 13. | 22. | præcipue | præcipuo |
| | 27. | ſtatutorum volumen | Statutorum Volumen |
| 16. | 26. | criticis minus | Criticis minus |
| 18. | 7. | de S. Stepzano | de S. Stephano |
| 19. | 5. | §. 24. | §. 23. |
| | 24. | Ibi *caput* | Ibi = *Caput* |
| 21. | 8. | PILASTTO | PILASTRO |
| 23. | 8. | SUPERNI . . . . NULLIS | SUPERNI . . . NATUM A CUNABILIS NUTRI- VIT MATER . . . NULLIS |
| 25. | 27. | NOAGDTA | NONAGDTA |
| 26. | 1. | DOMUS | DOMI |
| | 7. | BENEDICTO XII. | BENEDICTO PAPÆ XII. |
| 27. | 14. | antem | autem |
| 28. | 17. | momoria | memoria |
| 29. | 15. | videtur | tibi videtur |
| 31. | 3. | Camandulenſes | Camaldulenſes |
| | 16. | tantum | tandem |
| 32. | 24. | Geronis | Gezonis |
| 33. | 7. | appellatum | appellatus |
| | 9. | adſcriptum | adſcitum |
| 35. | 10. | *noagdta* | *nonagdta* |
| | 26. | nonuulla | nonnulla |
| 39. | 8. | Inferioris | inferiori |
| 41. | 6. | Inveniatur | Inveniantur |
| | 20 | §. praecedentis | §. XI. |
| 42. | 11. | elengantibus | elegantibus |
| 43. | 8. | §. 26. | §. 27. |
| | 26. | *Nabor Nabbo* legerem | *Nabor* pro *Nabbo* libenter legerem |
| 44. | 3. | modo Albanum appellant | modo Albanum modo Al- binum appellant |
| 45. | 22. | quorum nomina | quod horum nomina |
| 51. | 27. | a. 1245. | A. 1345. |
| 54. | 12. | videat ? | rideat ? |
| 55. | 12. | ſeptendecim | ſeptemdecim |
| | 17. | Ab Servando | ab Servando |
| 56. | 5. | Arretinæ Epiſcopi | Arretinæ Eccleſiæ Epiſcopi |

57.

| | | |
|---|---|---|
| 57. | 4. Datum | Sub datum |
| 58. | 6 iu lucem | in lucem |
| | 17. educere | edocere |
| 60. | 6. ad Gauſperto | ab Gauſperto |
| 66. | 16. *Cathedralie* | *Cathedralie* |
| | 20. opere pretium | operæ pretium |
| 68. | 18. ſcrutentur. | ſcrutentur? |
| | 26. plurima SS. | plurima de SS. |
| 69. | 28. Monattero | Monatterio |
| 70. | 29. *In Dic.* | *Indict.* |
| 71. | 20. Civitatis | Civitati |
| 77. | 8. Accademiæ obſcurorum | Accademiæ Obſcurorum |
| 80. | 8. *ex altera* | *ex altero* |
| 82. | 7. *firmiſtrabibus* | *firmis trabibus* |
| 83. | 23. Januari | Januarii |
| 85. | 10. lignæ | ligneæ |
| | 20. Muſuſtiola | Muſtiola |
| 86. | 22. per ſolvi | perſolvi |
| | 26. adſolvendum | ad ſolvendum |
| 87. | 16. *Trombellis* | *Trombellianis* |
| 89. | 6. *del* | *dil* |
| 90. | 5. Ædis | Ædi |
| | 20. ſeſta die | feſta die |
| 91. | 19. preerat | præerat |
| | 20. pravi | gravi |
| | 27. eſſoderetur | effoderetur |
| | 29. humauis | humanis |
| 92. | 7. obſtruere | obſtrui |
| | 20. Nimpheum | Nymphæum |
| | 24. illie | ille |
| | 25. Niſmpharum | Nympharum |
| 93. | 17. Inſigni | Inſigne |
| | Infictili | In fictili |
| 94. | 8. datum | dato |
| | 20. Eccleſia tantum ipſa | Eccleſiam tantum ipſam |
| | 25. plebis S. Mariæ | Plebis S. Mariæ |
| 95. | 18. coloris | coloribus |
| 96. | 15. ædiſiculm | ædificium |
| | 26. efformat | efformat |
| 97. | 25. Eugutinum | Eugubinum |
| | 27. Translatronem | Translationem |
| 98. | 12. domo | Domo |
| | 24. Ordo | Ordinem |
| | 27 Antonius que | Antoniuſque |
| 99. | 10. Saerario | Sacrario |
| 101. | 3. *prædicante* | ; *quod factum memorant*, *prædicante* |
| | 17. *Caſtelſecco* | *Caſtelſecco* |
| | 24. Saeerdotem | Sacerdotem |
| 102. | 22. *in luco* | *in loco* |
| 104. | 14. Hillarii | Illari |
| 105. | 3. exempla | exempli. |

10.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | 10. | demonſtent | demonſtrent |
| | 16. | in in | in |
| 106. | 23. | *Martyribut* | *Martyribus* |
| | 24. | Nullius-ne | Nullus-ne |
| 108. | 8. | ſaepta | ſepta |
| | 18. | ſtagglano | Stagglano |
| 109. | 10. | Beati | Beatum |
| 110. | 7. | noslas | noſtras |
| | 14. | quatuor annis | quatuor ante annis |
| 113. | 15. | diviniaus | divinitus |
| 115. | 14. | utque | atque |
| | 22. | Peregtinus | Peregrinus |
| 116. | 3. | in corruptum | incorruptum |
| 117. | 2. | it inſiclas | it inficias |
| 118. | 29. | excalceatos | Excalceatos |
| 119. | 4. | noviſſime | noviſſime |
| | 13. | degir | degit |
| 122. | 6. | reſeratum | reſeratum |
| 125. | 2. | facta | factæ |
| | 5. | collata | collocata |
| | 21. | *collocando* | *collocando* |
| | 27. | demollri | demollri |
| 130. | 15. | *Indict. 3. ſub anno* | *III. Indict. ſub anno Domini* |
| 131. | 4. | ſixti PP. | Sixti PP. |
| | 13. | addictum | addictum appellat |
| 132. | 5. | exiſſe | evexiſſe |
| | 24. | diocæſis | Diæceſis |
| 134. | 10. | cnm | cum |
| | 25. | illuſtiſſimus | illuſtriſſimus |
| | 27. | prettantiſſimus | præſtantiſſimus |
| 135. | 6. | è | , e |
| | 13. | Illuſtriſſime, perchè | Illuſtriſſime. Io ben conoſco, che non ho meritato i loro ringraziamenti; e che gli accompagnaſſero con tanto gentili e corteſi eſpreſſioni; e che da me ſi devono ringraziare le Signorie Loro Illuſtriſſime, perchè ec. |
| 136. | 15. | atrribuere | attribuere |
| | 16. | ædem | eædem |
| | 24. | exarari | exaravi |
| 137. | 8. | meniro | mentio |
| 142. | 3. | *ante S. Agnetem addatur* S. Margarita Corton. ol. Diœc. Arret. §. 29. | |

---

Demum quotieſcumque incidas in voces = *exorantur*, *exoratus*, & alias id genus, corrigito = *orantur*, *oratus &c.* Locum enim Plauti = *tandemque exoro & queſo*, qui facere videtur a nobis, non deſunt, qui revocent in dubium, legantque = *tandemque & oro*, *& queſo*.

005658150

Digitized by Google

Digitized by Google